RADIVILIAS.

SIVE,

DE VITA, ET REBVS PRÆCLARISSIME GESTIS, IMMORTALIS MEMORIÆ, ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS NICOLAI RADIVILI GEORGII FILII, DVcis in Dubinki ac Bierze, Palatini Vilnensis, &c. ac Exercitruum Magni Ducatus Lituaniæ, Imperatoris Fortissimi. &c.

LIBRI QVATVOR.

IOANNIS RADVANI LIT:

Iussu & Auctoritate Mag. D. Ioannis Abramovicz, in Worniany, Præsidis Derpatensis, Capita... Lidensis Vendensis ...

Addita est Oratio Funebris, Generosi D. Andreæ Volani, Secretarij Sacræ Regiæ Magestatis, & quorumdam Auctorum Epigrammata.

VILNÆ METROPOLI LITVANORVM.
Ex Officina Ioannis Kartzani,
CIƆ IƆ IIXC.

ILLVSTRISSIMO AMPLISSIMOQ
PRINCIPI
NICOLAO RADIVILO GEORGII F.
MOSCHOVITICO, LIVONICO.
DVCI IN DVBINKI AC BIERZE.
PALATINO VIENENSI &c.
PRINCIPI SENATVS.
AC
FORTIS FORTVNATIS.Q. IMPERAT EXERCITT.
MAGNI DVCA. LIT.VA.
OMNIBVS HONORIBVS NITIDE FVNCTO.
HEROI
AD SALVTEM REIPVB. PROPAGATO
PASTORI CIVIVM.
PVBLICO AMORI.
DELICIIS PATRIAE.
OB
REMP.VB. BENE GESTAM,
DECVSQ. PATRIAE AMPLIFICATVM.
QVOD
MENTIS MAGNITVDINE, DVCE VIRTVTE.
REMPVB. DE TYRANNO IVSTIS VLTVS
EST ARMIS, OPEIMAQ. SPOLIA CEPIT.
QVOD
CONFOEDERATIONEM. LIBERTATEM.
AVTONOMIAM. OMNESQ PARTES RE
IPVB. CONSILIIS STABILIVERIT.
INSIGNIBVS VIRTVTIBVS. AC MERITIS
EIVS, DOMI FORISQ
H. M. P.
IOANNES ABRAMOVICZ PRAESES DERPATENS.
Salue æternum Maxime Nicolae. S. T. T. L.

CON SECRA TIO



HOSPES ET AQVILA.

nde? *A*. Solo. *H*. Quid fers? *A*. nomen. *H*. cuius?
A. Radiuili.
H. Quo? *A*. cælo *H*. Laudi non ſatis omnis humus?
Non ſat: concha Aſiæ, Europæ altera, tertia cantat
Per Lybies: ſed ego nomen ad aſtra fero.
H. Annè feres radios? *A* rhadios. *H*. Sed ſi petis alta
Forte feres ictus fulmineos: *A*. in eos
H In quos? *A* in diros hoſtes: *H* quid fiet amicis
Virtuti? *A*. tuti, murus ahenus vti.

H. Ergo nefas RADIVILIS mos extinguere? *A*. verè.
H. Præmia virtuti magna parata? *A* rata.
H Sed quid corde geris? *A* lituos, *H* quorsũ? *A* ad fera bella.
Hac aquilâ, his lituis bella gerunt Litaui.
H Et vincunt? *A* quoties Deus Optimus arbiter hac stat,
Annuit & solo fausta supercilio.
H. At tu, Sancte, tuo Radiuilos numine serua.
Fac vigeant seclis innumerabilibus.

ALIVD EPIGRAMMA IN AQVIlam insigne Radiuilonium.

Hospes & Aquila

H. Armigeram te magnanimi Iouis esse vetusta
Fama est. *A*. vera canunt, nam Iouis arma gero.
H. Si Iouis arma geris, quid mirum gente fuisse
De Radiuilorum nomina tanta [illegible] ucum?

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, AC DOMINO D. CHRISTOPHORO RADIVILO, DVCI IN DVBINKI ET BIERZE PALATINO VILNENSI, &cet. AC EXERCITT. MAG. DVC. LIT. IMPERATORI &cet. DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.

SI gloria immortalis veræ Virtutis præmium eſt, ſatis & gloriæ, & immortalitati Clariſs. Principis Nicolai Radiuili, Palatini Vilnenſis, tui Patriæq; Parentis, ab omni Lituania datum eſt, in cujus medullis ac viſceribus gratiſsima etiamnum recordatio illius hæret. Si fructus tot laborum in Vitá amplißimi honores: poſt obitum, in terris quidem commemoratio nominis cum omni poſteritate adæquanda, in cœleſti vitá, beatum æuum remanet: honeſtatus eſt dum vixit maximis dignitatibus, Magnus ille RADiuilus, & nunc fruitur præmiis Virtutis, cui & patria omnium dierum quaſi ſupplicationem decreuit, cuius tota Europa ampliſsimum gloriæ theatrum, &, quod maximum, in cœleſti arce perpetuò triumphat.

Quæ ſunt igitur meæ partes Princeps Illuſtriſſime? Non quid addere immortalitati illius poſ-

ſim, ſed quid debeam potius, cogito. Trophæum erigamus: pyramides, coloſſos moliamur, arcus triumphales excitemus:

Donarem tripodas munera fortium
Graiorum.

Horat: 4. Carm.

At his ipſis ætas finem adfert, nedum memoriam heroum poſteritati propagare queant, & hæc ipſa niſi litteris legerentur vix aut ne vix quidem ſciremus. MEMoria publica Clariſsimi Principis, licet recordatione hominum nixa, litterarum lumine magis accendenda, ac per ſynceros rerum pronunciatores commentariis, & monimentis commendanda reſtabat, quod vt minime, aut à paucorum ingeniis præſtitum eſt, ita inprimis fieri oportuit. Nam,

Non incisa notis marmora publicis,
Per quæ ſpiritus, & Vita redit bonis
Poſt mortem ducibus, clarius indicant
Laudes, quam Calabræ Pierides, neque
Si chartæ ſileant, quod bene feceris
Mercedem tuleris.

Itaq; magnifice, mea ſententià Magnus ille Alexander in Sygæo ad Achillis tumulū. ò fortunate, inquit, adoleſcens, qui tuæ Virtutis. Homerum præconem inueneris. Neque ille Heroicus RAdiuili noſtri animus, ſi nihil in poſterum præſentiret, & quibus Regionibus uitæ ſpatium terminatum eſt, iiſdem res geſtas circumſcriberet, ſecum omnia ſua moritura, ac ex omni hominū memoria euellenda

lenda existimaret (quod, Noster Apollo uetá, Mu-
la prohibete Latinæ) non, inquam, tantis se labo-
ribus frangeret, tot curis, sollicitudinibus, uigiliis
conficeretur, tot angoribus se daret, ut ad extre-
mum spatium, nullum tranquillum, atq; otiosum
spiritum duxerit. Sed nihil ille in vita magnopere
expetiit, nisi patriæ uiuere, pro patriá mori: & nul-
lam mercedem laborum desiderabat, præter lau-
dem, præter ornamentum, & posteritatis fructum,
quo detracto, a t desperato, quid est, quod tantis
laboribus ' ,ec ı hanc Vitam conficiamus?

Sed lo nge ..e r est: Curriculum vitæ illius, for-
ta sis exigu ui; gloriæ immensum erit. Conse-
crauit er n dum vixit, a alissimis rerum gestarū
mo nimentis, memoriam nominis sui, nunc cùm ex
minum uitá ad Dei sanctimoniam commigra-
uit, pro illius famá, glo ri , memoriá (quemad-
modum Cicero quodam loco monet) non secus
ac pro patriis tanis, atq; delubris pugnandum puta-
ui, scribendumq; tale quidpiam curaui, quod & illi
e quo scribitur amplum, & ciuibus nostris, ac ue-
stræ inprimis Florentissimæ Familiæ maximum,
& periculorum incitamentum esset, & laborum. *Pro Rabirio Pedduellum. R.*

Parens tuus, Princeps Illustrissime, tantis Vir-
tutibus Publicis, Priuatisque præditus fuit, ut o-
mninò mori nō debuisse videretur. Reuera illá tē-
pestate, spes atq; . opes Lituaniæ in illo sitæ, ita vt
quæ olim

quæ olim Elogia, Græci, & Romani suis ciuibus fortissimis, ea nos huic uni adscribere queamus, hunc Gladium, & Scutum, hunc Alexicacon Lituanorum, hunc Corculum, hunc Frugi, Pium, Heroëm, hunc Patrem, Deliciasque Patriæ, hunc Pastorem Populorum appellare possimus, & debeamus.

Nam per Deum immortalem, quæ est belli, domiq; singularis Virtus, in quá non ille primos ordines duxerit, & admirabilem famam consecutus sit? Quanta in religione sanctitas, ac pietas ejus fuerit, quàm castissimus Dei cultus [illegible]tus in defendendá Euangelicá ueritate, [illegible]ate ar[illegible]r, Ecclesia in his regionibus, in hoc domestico incendio, ac temporum processu recognoscit, & [illegible] rat. In Reipub procuratione adeò Fidelis Senator, & integerrimus ciuis extitit, vt commodorum suorum oblitus, omnia ad utilitatem, & ornamentum eius retulerit, uerus urbis parens urbiq; maritus, singulari in dulcissimam Parentem Patriam Fide præditus, quod quidem adeò sanctum pectoris Senatorii & necessarium bonum est, vt meritò Romani illi, Fidei Templum Iovi Capitolino vicinum posuerint. Omninò enim Senator Rei tutor est: hæc potestates, imperia, curationes, omnia quæcunque chara, atque ampla sunt, in fidem & patrocinium eius tradit: ille totum corpus

Lucan: de Catone.

ejus.

ejus ueluti pudicam Virginem, caſtè, imò vt matrem, honeſtiſſimè educare debet, quod quidem tuum, Illuſtriſsime Princeps, Parentem, unicæ in Patriam Fidei feciſſe, ipſa Lituania fatetur.

Fidei tanquam Fundamento, Reginam Virtutum Iuſtitiam, & æquitatem in omnibus rebus adjunxerat. Non ille diuitiis cum diuite, nec factione cum factioſo, ſed cum ſtrenuo Virtute, cum bonis probitate, cum prudentiſsimo ſenſuum vtilitate, conſiliorum ſanctitate, ac ſententiarum innocentiá, cum omnibus, Reipublicæ amore certabat, imò (clara uoce dicam) omnes ſuperabat. Neque enim aliud ſtans, aliud ſedens, de Republicá ſentiebat, neq; cum de rebus dubiis conſuleretur, odio aut amicitia, aut irá impediebatur (quod nunc in purpurá creberrimum) neque ſententiam obnoxie, & ex alienâ libidine (quod tineæ & ſorices palatii (ut rectè Conſtantinus Magnus appellauit) facere ſolent) dicebat: nec auaritia anhelans, aut diuitiarum admiratione captus, Regibus imperium patriæ uenale habuit, aut Maieſtatem Reipub. nundinatus eſt: turpe id in vulgo, turpiſsimum in illis, qui in excelſo ætatem agunt: nihil eſt enim iam ſanctum, & ſollemne officium, quod non auaritia violare poſsit. COMMVNE MALVM, PRIVATVM BONVM. Nec deniq; calidis conſiliis præceps, quæ prima ſpe læta, tractatu dura, even-

tu tristia, (norunt experti) esse solent. Quæ Virtutes quo in Senatore cernuntur, hunc ego, non hominem, sed diuinum quiddam in Repub. esse existimo.

Quid dicam, in omni uitá incredibilem modestiam? Cum ciuibus suis, vt cum liberis vixit, Princeps dignitate, par ceteris libertate: ac tantá innocentiá, vt nunquam gloriosum putauerit, plus se unum posse, quàm omnes, nunquam metui à ciuibus, quàm diligi maluerit. Metui enim à ciuibus, ait quidam, inuidiosum, detestabile, imbecillum, caducum. Libertatis & Autonomiæ nostræ genti insitæ, vindex acerrimus. Quanta dicendi iuxta, & agendi uis, quanta grauitas, & ubertas, ac in oratione, totoq; corpore majestas! historiarum & antiquitatis memoria incredibilis, ac omnino ut Homerus ille Vlysses, magnorum & illustrium factorum conscius. Ita nescio, quomodo fit, vt qui vnam habet, omnes habeat Virtutes.

Quemadmodum autem domi consilii, ita belli audaciæ, ac bellandi virtutis nunquam indiguit, egregie fortis & bonus Imperator. Quod si ullus adeò in Repub. nostrá hospes est, vt nesciat, aut adeò inuidus, vt luminibus fortissimi Herois offi cere uelit, uos ego appello sola barbara, & longinqua Moschorum, uos populi, ac nationes, numero infinitæ, crudelitate immanes, uos, inquam appello,

pello, in quibus ille armorum, uictoriarumq; ſuarum ſigna impreſsit, & influentes in Lituaniam, ac efferueſcentes hoſtium copias, partim interfecit, partim repreſsit, cum acerrimis nationibus dimicauit.

Ille, ille, bellum Moſchouiticum omni odio imbutum, ac toties ab hoſte, qui noſtris opibus creuerat, magno apparatu renouatum, tam diu in Lituaniá uerſatum, fortiſsime ſuſtinuit (nam vt conficeretur, STEPHANVM Regem fata deſignarant) Soyſcium cum 30000. Moſchorum, exiguá manu ecídit, Serebreni 40000. exercitum fugauit, ac per legatos plurimas clades hoſtibus intulit. Vendenſes obſidione liberauit, Polotto, & aliis arcibus deditionem perſuaſit.

Tum eius Virtus eximia, magnis luctibus, difficilimo tempore, Reipub. ſubuenit, ac Liuoniam, Populi Lituani ſocios, ab omnium rerum deſperatione ad ſpem reuocauit. Dignus immortali ſupplicatione, & perenni triumpho: dignus obſidionali coroná Imperator.

Verumenimuerò, quòd Rempub. in atrociſsimis diſsidiis, & periculoſiſsimis Interregnis, ueluti nauim tempeſtatibus ſeditionũ fluitantem, in portum reduxerit, & conatus, in arcem Confœderationis, quæ vna huius Reipub. Salus exiſtit, paratos, ſuis ſaluberrimis Conſiliis, quæ nil niſi Pacem,

Pacem auream, olebant, refutauit: dignus ob eam rem fuit, cui totius Reipub. manibus, Ciuica Corona imponeretur, tantò formosior, quantò præstantius Ciuem seruare, quàm hostem occidere.

Vtinam, utinam Tyranniones nostri Sullaturientes, egregii nempe in suos ciues Hercules, sanctissima illius Consilia audire velint. Quid enim? amentiane an furor? hostis in oculis & tantum non ad portas Annibal, & nos enses ciuili sanguine imbuendos procudimus, nempe ut in fundamentis Reipub. euersis, ac in cineribus deflagraturæ patrię Turcas & Scythas collocemus. Quorum gladi in perniciem Publicæ Tranquillitatis districtos tuum est, Princeps Illustrissime, una cum aliis bonis retundere. Habes domesticum exemplum Amplissimæ Vestræ familiæ, ac inprimis Nicolai Radiuili Parentis tui Clarissimi, quem ut Persæ Cyrum, ita Lituani Patrem appellarunt: Virtutes quidem ejus, quicunque hanc Radiuiliaden legent obstupescent. Et quoniam, quá in Familiá laus aliqua forte floruit, eam fere qui sunt eius stirpis cupidissime persequuntur, hunc tu, Rempub. bene gerendo, imitare, ut cœpisti.

Accepimus jam à te, sicut majorum tuorum amplitudo postulabat, res gestas tuas, tanquam obsides in Rempublicam tuæ voluntatis, ornamenti, firmamenti, cum tu, Christophore Radiuile, Princeps Illu-

ceps illustrissime, quas regiones vix aliqua nobis Fama notas faciebat, & quò, vix jam Vitoldi semi tā, sciebamus, has armis tuis peragrasti. Perge hac Virtutum uia, nō deerunt rebus tuis dicendis præclara ingenia. Ego quidē, quæ fuit, Clarissimi Principis Parentis tui, in me amplificando munificentissima liberalitas, nulloque tempore inficianda benignitas, quantū possum nomini eius seruire uolui: itaque Ioanni Raduano meo auctor fui, ut hāc memoriæ Clarissimi Herois, operam daret, ac uitā ejus poëmate comprehensam, MATRI ANNORVM GLORIÆ, cupientissimis ac fauentibus omnibus commendaret, ut, cujus vitæ socia Virtus fuit, eius mortis comes gloria existeret.

Accipe, quæso, Illustriss. Princeps, grato animo, (neq; enim uobis pagina gratior esse potest, quàm sibi quæ RADIVILI præscripsit pagina nomen.) & meū hoc de Principe Inclyto, NIcolao Radiuilo, ac Vestrá Familiá bene merendi studium, æqui, boniq; consule. Vale, & Flore Illustrissime Princeps. Vornianis 15. Martij.

T. Illustriss. Cel. ac ampliss. familiæ Radiuilonia.

Deditissimus.

Ioannes Abramouicz in Vorniany, Præses Derpaten. Capit. Lideñ. Vendensisq; &cet.

MAGNIFICO ET GENEROSO Domino D. Ioanni Abramowicz, Præſidi Derpatenſi, Capitaneo Lidenſi, & Vendenſi,&c. Domino ac Mecænati ſuo.

INiunxiſti mihi, Magnifice Domine ac Mecœnas, vt Res geſtas, Illuſtrißimi Principis Nicolai Radiuili, Palatini Vilnenſis, ſanctißimæ recordationis, carmine deſcriberem: vt, cuius res memoriâ Sarmatiæ aluntur, ſermonibus creſcunt, meis etiam monimentis corroborentur: & caneſcant ſeclis innumerabilibus. Conſcius equidem ſum meæ tenuitatis, cum mea nondum Aſcræos norint carmina fontes: Deterrebat & negotiorum moles: & inſuſurrebat quidam è Poëtarum numero: AMAT VICTORIA CVRAM. Ante oculos erant Iudices. iudicum acumen quo non penetrat, ſimul ac oculis equitare cœperint? Etiam fabri ſupra malleum loquuntur: quid facient ſapientum octaui? atræ procellæ ſimiles incurrent, vt Homerici bellatores: quid verò ſyncerè docti? Iuſtißimæ cauſſæ erant, cur non ſuſciperem laborem. Sed volebas & vrgebas omnino ingenuam pigritiam, vt Peplographiam hanc pingerem: & tua, Mecœnas, haud mollia iuſſa. Itaq; ſubii hunc laborem. Adonios hortos appellabunt docti: nec ego laudo, & ipſe liber conſcius in limine offenſat: proinde, Perſium, inquit, non curo legere, Decimum Lælium amo, qui nempè vt Perſio impar, ita æquior futurus. Tuum igitur erit, Magnifice Domine, non modo auctorem ſcribendi, verùm & defenſorem legendi libri exiſtere. Quod ſi fiet, iam inuidos illos, quos perfectè noſti, non metuo. Si inuidebunt, fortaßis aliquid bonum, concinnum ſcripſi: magis trepidem, ſi laudabunt aliquid, fortaßis enim aliquid inuenuſtè ſcripſero. Et certè non inutile ab inuidis legi: multa bona in illis, quibus inuident, videre ſolent: nec magis ſœniculum, quàm Inuidia viſum acuit. Tu autem Magnifice Domine ac Mecœnas, lege, ac tuere. Vilnâ, 8. Martii.

Scæuola de Cicer: Mario.

T. M.

Deditißimus Cliens

Ioannes Raduanus Lit.

AD GENEROSISS. ET EXIMIA spe Virtutum, D. Georgium Radiuilum Nicolai F. Palatinidem Nouogrodensem, Capitaneum Moseriscensem. &c.

Si mors, vt corpus, sic mentem perderet, ecquid
Vitæ serenem spe labores anxios?
Non ea vis mortis, post fatum viuitur: ecce
Præsentat ingens fama, nec mori sinit.
Viuit auus vester post lucis damna, perenni
Nam Fama peplo texuit fortem virum.
Illa sedens rerum custos in turribus altis,
Basalte duro signat heroas sacros.
Gratia virtutũ nunquam obruta: Gloria namq;
Verum caducis donat æuum gentibus.
Argutis illum sociabunt carmina neruis.
Curæq; vatum secla victuræ omnia.
Et dubitamus adhuc factis extendere vitam,
Hinc transferendi melius in cœli decus.
Ergo Nicolei laudum gratare: sed ipse
Aucto niti laudibus, puer tuis:
Nam miserum est sola maiorum crescere fama,
Extrema nec me forma fortassis beet.
Incipe, Macte Puer, decus affectare parentum,
Et ampliare nomen ingredere tuum.
Crescite virtutum certamine, crescite: solus
Hic ad penates callis ad sanctos patet.

AD GENEROSISS. ET EXIMIA spe virtutũ, D. Ioannẽ Radiuilũ, Christophori F. Palatinidem Vilneñ. Capit: Borisouiensem.

Magne Puer, clari magnum Patris incrementum,
Sume Aganippæi munera blanda chori.

En ego

En ego Castaliis peplum sublime dicaui
Artibus: & vestræ gesta stupenda domus.
In Radiuilonium ducuntur carmina nomen,
Pagina ne iam sit gratior ulla tibi.
Hæc alimenta sacræ laudis: sic Gloria uatum
Carminibus, propriam ventilat ipsa facem.
Quid Latios mirâre duces, Graiosq; parentum
Facta vide, & cernes Græcia quicquid habet.
Miltiades, Cimonúe placet, placet inclyta virtus
Curtia, cum Fabiis: cerne, videbis idem,
Laurea formosa est Marii, præclara Camilli
Gloria: Nicoleon cerne, videbis idem.
Quantumcunq; suas . . ndat Græcia chordas.
Vester in hoc princeps ordine viuet auus.

AD GENEROSIS. ET EXCELLENTIS. spe virtutum D. Christophorum Radiuilum, Christophori F. Palatinidem Vilneń. &c.

DVm tibi distinctos flores iam suaue virenti
Gramine, iam croceo, terrena Lubentia fundit,
Inque tuos lusus, ver mille coloribus almum
Ridet, & in blandos præbent se tempora lusus,
Incipe iam proauos, & auos, & facta parentis
Noscere, tum quæ sit virtutis gratia sanctæ,
Tu quoq; Littauiam sustentature potentem.

Vestrarum Magnificentiarum

Deditissimus.

Ioannes Reduanus Lit

Do Jego Mośći Páná Jerzego Rádziwiłá Woiewodzicá Nowogrodzkiego.

Wjelka iest sławá/ z oycá śie vrodźić
Zacnego/ y od prádźiadow wywodźić
Dawnych swoy kleynot: lecz cześć kosztownieysza
Kogo swych przodkow cnotá wszech zacnieysza
Skárbow/ iásności swey blaskiem przeraża/
Iże śie chwyći/ iák Mágnes żelázá/
Sławy swych stárszych. Tey ty IERZY zacny/
Gdyż masz vtárty gośćiniec y łácny/
Násláduy: sroga bowiem śmierć zábiera
Wszytko/ lecz Sławá nigdy nie vmiera.

Do Jego Mości Páná Jánuszá Rádziwiłá Woiewodzicá Wileńskiego.

Nie mniemay/ áby rowna nád vmysłem miáłá
Smierć władzą/ iże ciáło do grobu wegnáłá.
Ná rzecz śmiertelną rece swe Lachesis ściągnie/
Sławie da pokoy/ bo sie w świetnym niebie lągnie.
O to nie teraz ziemi Rádziwił zlecony
Wstáie/ sławą y cnemi triumphy zdobiony/
Ktore opiewa złote Radwánowe pioro/
By sie káżdy do Cnoty wspániáłey brał sporo.
Przeto gdyć/ zacne Panie/ Choynowski podáie
Dżieiopisá sławnego/ ktory z Padwi wstáie/
Opuść ná czás/ á sławie przypátruy sie własney/
Cnotą y męstwem dżielnym twoich przodkow iásney.

† † †

Naydżieß

Naydźieſz tu Scypioná/ bedźie tu fortelny
Annibal/ y Achilles męſtwem nieśmiertelny.
Tákich ſie ty zá młodu początkow napiiay/
Rádźiwił Rádziwiłow świetych drog nie miiay.
Ták długowieczną ſwemu domowi cześć wzmećiſz/
Kiedy cnotą oyczyſtą potomkom záświećiſz.
Day Boże/ byś ſie w ſławie tey roſkochał z duſze/
Ieſzczeby Litwa miáłá ſwoie Kurciuſze.

Do Iego Mośći Páná Krzyſztophá Rádziwiłá Woiewodzicá Wileńſkiego.

Póki wioſná młodośći śliczne twe ſzárłáći
Iágody/ á ſwych kwiatkow dárem ćie bogáći/
Kochay ſie w Cnoćie/ á tá fárbny ſpráwy ſwoie/
Abyś złych żądz był wolen w ſrogie letnie znoie.
Ták bedźieſz zbierał czáſu ieśiennego ſnádnie
Owoc doyźrzáłey Cnoty: ták iuż nie przypádnie
Sniegiem Sławá trwáiąca/ owſzem domy obá
Słońcá/ nápełni zacnych cnot twoich ozdobá.

Ian Kozak Litwin.

AD GENEROSVM ET MAGNIFI-cum Dominum Ioannem Abramovicz.

NAm quali cumulo laudis multiscia Musa
Vis celebrare virum?
Qui non permittit veterum bene facta virorum
In tenebris esse?
AEternis scriptis sed laudes carmine magnas
Concelebrare iubet.
Ingenii celebrem te quantá, maxime, opum vi,
O Abramouici?
Tu Radiuiliadæ strictis conscribere verbis
Arma, virumq; iubes.
Virtutes, & gesta cupis tu prælia, & ipsum
Tollere ad astra decus.
Tu vitam, moresq; bonos, & Martia gesta
Condecorare studes.
Vt patriæ fidus, tumidas ut contudit iras
Barbare, Moscbe, tuas,
Vtq; togæ cupidus semper, sed fortis in armis,
Dux Radiuilus erat.
Hunc non Pyramidum celebras ad sydera ductis
Turribus aëriis.
Talia, nam venit quando inuidiosa vetustas
Intereunt subitò.
At scriptis ornas nitidis quæ nulla dierum
Vis abolere queat.
Atque hinc nulla tuum volitantia tempora possunt
Obliterare decus.
Atq; tibi, studium cernet quandoq; labores,
Patria chara tuos,
Persoluet grates iustas, laudesq; manebunt
Tempore perpetuo.

Ioannes Rutski Eques Lit.

AD GENEROSVM ET MAGNIFIcum Dominum Ioannem Abramovicz, Mecœnatem clementisſimum ſuum.

O & promeritis, ò & pietate, fideq́;,
Vir patriæ præſtans, quid me alta ſilentia cogis
Rumpere, & immenſis vrges inſiſtere cœptis?
Raduillum, vir Magne, iubes memorare Camœnas:
Argumentum ingens: renuam: nec iuſſa recuſo,
Sed rerum terret pondus: nam nec mihi ridet
Frons Capitolinâ quercu, nec conſcia Muſa
Reſpondet, vellitq́; aures auerſus Apollo:
Paruaſne tam magnis apponere fontibus ora?
Fluctibus his audes pauidam iactare phaſelum?
Perq́; ſalis campos pandâ inſultare carinâ,
Heroum meritas laudes magno ore canendum,
Quale ſenis, uiuit quo fortunatus Achilles,
Quale erat, AEneas obliuiſcentibus annis
Quo viget ereptus: tu littora tuta laceſſe.
Hæc ait: At venerande pater, Parnaſsie præſes,
Bellerophontei regnator ſumme liquoris,
Si tua ſacra fero, ſi ſum tua caſta ſecutus
Signa cliens, per ego has lauros, & Delphica ſerta,
Per Radiuilonium nomen, ſi quid bene de te
Promeriti, precor, ò dubijs ne deſice rebus,
Adſis, ò faciliſq́; iuues, da in carmina vires,
Tu potes, & muto piſci donare canorem
Cygnæum, tu, Rex, magnam mentemq́;, animumq́;
Inſpirare potes, ſim tantis conditor actis,
Non vt ſyluarum quercus mea fila ſequantur:
Nec meus Orphæas amor affectare querelas.
Non Aſcræa peto, nec culti carmina CaſsI
(Quanquam ò) ſed tamen ire queam per maxima facta
Herois Litaui, ne poſtera fama recondat.
Audiit hæc Phœbus: tum paullum mente moratus

Annuit,

Annuit,& nutu tremefecit templa sororum,
Cœperuntq; meæ sublime audere Camœnæ.
Ergo Abramouici, quando hæc te cura remordet,
Et cupis hoc Famæ Radiuilo ponere templum:
Præcipe, quando hæc cunque placent, ego iussa capesso,
Condere victuras audax per secula curas,
Grynæi nemoris iucunda uireta peragrans,
Quæ seriem innumeram prædelassare dierum
Eualeant, populisq; sonent interprete Musa.
Describunt alii Mauortia gesta metallo,
Intexuntq; suis aulæa superba mæandris,
AEdificant nomen statuas per etalta sepulchra,
Fors alii cupient uultus effingere in auro,
Oraq; de uiuo spirantia marmore ducent,
Stet quicunq; volet curru sublimis eburno,
Aut Porphyriacá, aut Lunensi cochlide surgat.
Totus & argento præsignis, totus & auro.
Tu Patrem Patriæ uersu transmittis in astra,
Et Mausolæo potius potiusq; sepulchrum
Extruis, immensumq; pius molire colossum,
Cuius apex tangat cœlum, & uolitantibus annis
Arbor ut assumat longinquo robur ab æuo,
Quem neq; manantes plenis de nubibus imbres,
Nec fuga seclorum parto uiduabit honore.
Altera post obitus heroum uiuitur ætas,
Iam Libitinæ expers: si quis tamen hæc quoq; si quis
Haud alias uulgata leget,tibi debitus ecce
Surgit honos Abramouici, nec te mea versu
Linquet inornatum, Mecœnas optime, Musa,
Hinc quoq; consurgent nonnullo semine laudes
Iustificæ mentis: quid publica commoda poscant
Callidus, haud metuis malesani murmuris auras,
Nec te spes lucri: nec te circumstetit atrox
Ambitio: & commune malum, PRiuata Cupido,
Aut, quæ nunc regnat, polluta licentia fraudum

(Heu

(Heu mores, heu prifca fides!) quæ funditus omnes
Lituanas attriuit opes, decora alta parentum.
O mihi poft etiam fi Parca indulferit annos,
Fabor & hæc, & quæ Phœbo meditante, forores
Audiuére: tui modò fis memor, optime, Vatis.
Et iam tot nomen Radiuili ferre per annos,
Accingar, Litauûm quot abeft aborigine prima,
Mox vbi prima Fides pelago, & fpirare fecundi
Incipient Zephyri Pindo, feror hofpes in altum,
Porricite exta mari, finuofaq; pandite uela,

Errata ſic corrige.

ſudant pro fudant, a ij. Memoria d. 1. antepen. produxi, ſciens volens, quomodo enim aliter in uerſu ponerem? properare pro proparare d. i. Relligio pro reli. b iij V irum pro uirum, g i. ibid. pauidas circumſonat artes. Et Famæ ſtimulauit. pro Laudis ſtimu. g iiij. ibid. moles pro molles: h. i. Fidens animis pro animi. Libauitq́ue fidem, ſine: et, h ij. galeæ pro galæq;. ibid. Exiguos pro exiguis k ij. Pleſcouiæ urbs pro arx, o.i. Excelſa pro excelſa, p ij. Gemitus pro genitus, p: y. b. Referebant pro referebat, p iij.

Cetera æquus lector corriget

RADIVILIAS PRIMA.

SIVE

DE VITA ET REBVS PRÆCLARISSIME GESTIS, IMMORTALIS MEMORIÆ, ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS, NICOLAI RADIVILI GEORGI F. DVCIS IN DVBINKI AC BIERZE, PALATINI VILNENSIS, &c. AC EXERCITVVM M. D. L. IMPERATORIS FORTISSIMI. &cet.

LIBER PRIMVS.

LVnā alii, Solisq; vias cœleſtia ſcribunt
Argumenta, poli tractus, camposque liquentes,
Et penitus vaſti prima incunabula mundi.
Magnum iter aſcendunt, ſed gloria dulcis honore
Incendit vires, & amor præſtantis olivæ.
Deucalionis aquas ſecli monimenta nefandi
Deſcribant alii, cœlumq; agitata per altum
Bella canant, quis palma placet ſup arma Gigantū.
Alter Cadmæas clades, Martemq; nefaſtum,
Obſcœnamq; domum Pelopis, cœnamq; Thyeſtæ,
Atq; Semiramias arces, Trojæq; labores,

Omniaq; annosi dicat miracula mundi.
Talia quæ vacuas tenuiſsent plurima mentes,
Omnia iam vulgata, cedrum meruere, fidem non.

Propoſitio operũ. At mea perfidiæ non ulla coarguet ætas
Carmina: te RADIVILE, tua & memorãda canemus
Facta Senex, tibi Pierios ſacramus honores.
Quãvis (nec dubiũ eſt) Europam, & barbara regna
Fama tuis, triplici conchá, iam perſonat actis,
Incipiam noſtris intexere, Maxime, chartis,
Martemq; nomenq; tuum, laudesq; perennes.

CALLIOPE, atq; ERATO veſtras advertite mẽtes,
Et date quàm virtus ingentem ad ſydera vexit
Ductorem Litauũm, dum pace, & Marte ſecundo
Siſtit rem patriam, qualisúe effuſa per Vlæ
Tempeſtas ierit campos, per Evanſcia rura.
Illius immenſis ut laus attonſa Livonum
Conſiliis, veluti Scythiamq; repreſserit heros,
O memorate DEÆ: tum vos date candida cives
Omina, nã tibi ſurgit opus LITVANIA PRÆSTANS.

Deſcriptio & laudes Lituaniæ. TERRA potens armis eſt, & notiſsima famá,
Hìc vbi ſe latis pandit LITuania campis,
Magna parens frugum, ſtudio gens aſpera belli,
I. A fortitudine: & amplitudine imperii Lituanici, Quam perhibent Italos olim tenuiſse colonos,
Martia corda virũm: quis nunc aut forte Libonis
Exſilium neſcit, magnosq; Palæmonis auſus?
Vnde venit longá ſerie Lituana propago,
Gens gravida imperiis: etenim ſub Balthica fines
Littora, & Euxinũ mare, famam extendit Olympo.
Illis Campanos ſaltus, vbi dona Lyæo

Legiferæ certant Cereris, Panchaia Tempe
Alcinoi ſyluas, biferiq; roſaria Pæſti,
Medorumq; volens cultus, rivosq; metalli, *2. A fru-*
Contentis ferro, prudens Natura negauit. *gum copia.*
Sed quales, quantasq; ferunt ſacra Gargara meſses,
Et victu facilem eſse dedit per ſecula gentem. *3. A victus*
Hic vitreos amnes ſylvarum celſa coronant *facilitate.*
Teſqua, decus terris, quæ quantum vertice in aſtra *4. A Syl-*
In Stygios manes tantum radice minantur. *uarum com- moditate.*
Hic ceruis, alciq; domus, ſæuoq; biſonti, *5. A vena-*
(Setigerá captos cui mos eſt ſiſtere linguâ, *tionibus &*
Inq; leues (tantum robur) iacularier auras) *variarū fe- rarū copia.*
Virgatisq; notis maculoſo tegmine lynci, *6. Ab op-*
Et celeri capreæ, nec non ingentibus uris. *portunitate*
Quid fluvios, lacuumq; canam certantia ponto *lacuum.*
Æquora? quid piſces? ſunt hic etiam ſua cete. *7. A piſci-*
Quid referam albenti canentia iugera lino? *um abun- dantia.*
Aut cur enumerem lucis conceſsa beatis *8. A lini*
Dona? latet magnis ingens opulentia ſyluis. *copia.*
Hic ſeſe liquido diſtendunt nectare quercus,
Arboribus ſpumant puriſsima mella, fauisq; *9. A mel-*
Mactant agricolas, iniuſsaq; robora ſudant, *lis & ceræ opibus.*
Plena Palatinæ fragrantia pocula menſæ.
An tot diuerſis lapſos de fontibus amnes? *10. Ab op*
Anne Boryſthenios curſus? qui rauca fluenta *portuniſsi-*
Vallibus abruptis vaſto cum murmure ponto *mis & egre giis fluuiis.*
Præcipitat, ſalſasq; maris prædulcibus undis
Temperat: hinc autem ſpatiatus flumine Dunas *Olim Rubō.*

 Vorti-

Vorticibus rapidis interluit arua Polotti,
Et tandem Venedûm late prorumpit in æquor.
Nec multũ minor hoc Litauûm liqdiſsimus amnis
Iglionum veteres campos, & pinguia ſtringens
Lituanis Nerys.
Vilia culta ſecat, Vilnáq; ſorore recepta,
Fratris in amplexus ChronI decurrit amæni,
Lit: Niemẽ
ChronI, quo nobis non eſt formoſior amnis:
Multæ illum Nymphæ fluuiorũ, & Querquetulanæ
Optauère thoro, ſed habet pulcherrima Suenta,
Itẽ. Axiaces. Bug: Hypanis Boh.
Purior electro, quæ per Samogithica labens
Littora, Chrononis fœcundo conditur aluêo.
Hæc eadem Litauos tellus, acresq; Sudinos,
11. *A nationibus variis et antiquis.*
Iazygaq; intrepidũ mortis, Nomadesq; Poloucos,
Et veteres PRVSSOS, & fortia pectora Alanos,
Cognatosq; illis Gepidas, populosq; potentes
12. *Ab innumera fortiſſimorũ Regũ, Heroũ, ac Ducum propagine.*
Extulit, hæc Erdiuilum, Troydenaq; fortem,
Mingallumq; Ducem, Scirmontũq; armipotẽtem,
Romontem, Latioq; caput diademate cinctum
Mendogum, Vitenemq; bonũ, plenumq; triumphis
Gedimina patrem, populoſæ mœnia VILNÆ
Cuius ab auſpicio ſurgunt: hinc aſpice natos
Gediminiadas fratres, fortiſſima corda,
Lituani imperauerunt Polonis, Bohemis, Hungaris, Sileſiis &c.
Keſtutum, Olgerdum: quin iſta IAGELLONA tellus,
Sarmatiæq; dedit Reges, Hunnoq; potenti
Impoſuit dominos, & Cechi à ſtirpe Bohemis,
Totque duces genuit præſtantia nomina, nec non
Quẽ canimus MAGNVM RADIVILVM, nomẽ & omẽ
GEORgius Radiuilus
NICOLEI cui mens dederat præſaga parentum.
IPSE Pater clarâ de ſtirpe GEORGIVS, omnem

Implerat patriam factis ingentibus heros,
Egregium sydus generis: sed gente Polonâ
Mater, auis, atauisque potens Colanscia Nympha,
Fæmina quæ veteres Heroidas inter haberi
Digna fuit, talem quæ natum in luminis oras
Eduxit Litauis: sed enim de sanguine tali
Progeniem cuncti venturam voce canebant,
Quæ rem Lituanam sæuo turbante tumultu
Sisteret, & patriis depelleret vrbibus hostem:
Hunc fore, qui ciues magnâ spe tollat, ab hoste
Vedrossæ cladem, direptaque signa reposcat,
Et centum vinctos nodis miseranda triumpho
Ora ducum trahat, & patriæ decus inferat astris.
Huius in aduentum iam nunc Moschouia tellus
Responsis trepidat vatum, Morduæque feroces,
Et posita in tumulo Mosquæ castella tremiscunt.
Heu quantæ clades Moschis fugientibus instant!
Quàm multis puer hic viduabit ciuibus vrbes!
Quas pœnas Iuane dabis! quàm plurima quondã
Scuta virûm, galeasque ruentia flumina voluent.
　Nascere magne puer, magnũ patriæ incrementũ,
Digna patris tanti soboles: qui Marte, togáq;
Præcipuus, patriam meritis ingentibus omnem
Implerat, vel cum Litavis à finibus hostes
Ille Mæoticolas inuictis pelleret armis,
Et Scythicos nostris prohiberet ab arcibus ignes.
Hos dum terga fugæ nudant, agrosq; relinquunt
Iam desolatos, tu CONSTANTINE, tuumq;

Castellanus Vilnen. pater Nicolai Radiuili.

Lituanorũ ad Vedrossam fluui. clades.

Morduæ ferociss. populi Moschouiæ.

Gesta Georgij Radiuili patris Nicolai.

Auſpicium proceres, vnaq; GEORGIVS acer
Peuciniis campis, per tot deſerta ſecuti
Miſiſtis letho : teſtantur flaua fluenta
Gurgite ſub medio ſtragem indignata virorum
HOLSANICÆ,& faſsæ natorum in funere matres,
Virtutes, Martemq; viri, dextramq; potentem.

Scytharum & Turcarũ 24000. ad Holſanicam fluu. cæſa à Lituanis.

Quid memorẽ quãtos Pruſsorũ ſtrauit aceruos,
Cũ ſua Sismundo (quòd Rex, quòd auũculus eſſet
Nil veritus) ſcelerata nepos haud viribus æquis
Arma inferret ouans? Gedani ſub mœnibus altis
Dum cœlum terret bombis, ac fulminat vrbem
Impete ferrato, vidit miſeranda ſuorum
Funera, quos Litauus palantes miles agebat,
Et docuit poſitis Regem venerarier armis.

Geor: Radiuil: contra Albertum Pruſſiæ Ducem.

Pro quibus in ſeſe meritis præſtantibus, ardens
Te Patria in media Virtutum mole locare,
Dat Caſtellani nomen Vilnenſis, & vnà
Poſt obitum CONSTANTINI, Reſpublica iuſsit
Cernere militiæ clauam, & ſuccedere tanto
Induperatori, ac bellorum aſsumere curas.

Lituanorũ Imperator.

Nec mora victricẽ dextrã, Martemq; ſecundum
Arma triumphali jam tum præluſtria lauro
Vertis in imbelles Moſchos, vrbesq; Severas,
Funeribus virides campos, atque oppida flammis
Funeſtas, peragrans armis victricibus oras.

Starodubia metropolis Seuieriæ.

VRBS Antiqua fuit priſcis regnata tyrannis
Ruſsigenûm, celſo Starodubia robore ſtructa,
Quercubus annoſis conſurgens machina cœlo:
Hìc OVCINA ferox, & furtiuis hymenæis

Reginæ elatus, per propugnacula tuta
Bellum acuit, populis, atque altis turribus audax.
Hoc caput eſt belli, huc invicta Georgius arma
Signaq; ferre iubet, manet alto corde repoſta
Læſa Fides, Mars fædifragus, bellumq; neſandum,
Mactatiq; Patres, natiq; ante ora parentum,
Et quæ nec dudum Litauis incendia campis
Miſcuit, irarumq; omnes effudit habenas.
Impunè ergo ferus noſtros exuſserit agros
Hoſtis? & immani lætetur cœde meorum?
Ite pii ciues, quos hæc iniuria tangit,
Et ſanctum fœdus, pacemq; repoſcite ferro.
Nec mora : terribiles è fulmineis tormentis
Præcipitant nymbi, vaſto cum turbine ferri,
Mœnibus excidium præſens, populoq; ferentes.
Sed neq; crudeles ictus Starodubia ſentit.
Stat contra : inſultus querceta ingentibus omnes
Expectant animis, eademq; è turribus altis
Bella tonant, vomit arx ferrum, ſonituq; tremiſcũt
Ardua terrarum, donec vis flammea nitri
Intima telluris rimata erumpit in auras,
Fundamenta ruens imis radicibus, unde
Littora diſsultant, & maximus inſonat æther.
Fit via vi : nigroq; vndantem pulvere flammam
Terra ſinu glomerans voluit, penitusq; pateſcunt
Heu malefidæ arces : LITaui per tela, per ignes
Præcipites ivere, oriturq; miſerrima cœdes,
Donec in extremos cineres Starodubia præſtans
Sedit,

Owcina tutor Iwani Baſilidis.

Starodubia cuniculis expugnatur.

Sedit,& æqua ſolo ſumat, flos ille Seuerúm.
Quis tibi nunc Ovcina videnti talia ſenſus?
Quidúe animi? cum dejectas à culmine moles
Aſpiceres,ſparſosq; ignes, clademq; tuorum.
Quò nunc ille furor? quò vani pectoris orſus?
Et quæ pollicitus captiuo vincula regno:
O dubias Martis ſortes! ò bella pigenda!
Owcina captus & 60000. Moſchorū capta, aut cæſa.
Ducitur ora modis dejectus pallida miris,
Et dulces thalamos reminiſcitur, impia furta.
Neſcia mens hominum,cuius Victoria Martem
Coeligena annuerit, cupit altá pace triumphos.
I nunc paciferæ laurum præpone quieti.
Nec verò facile eſt numerare quid egerit illic
Mars Radiuile tuus, cum magnas funditùs arces
Erueres : tu Lituanæ ditionis Homelum
Reſtituis,captos proceres,vinctosq; catenis
Adducis,te gens Morduæ,te Taurica tellus,
Te Scythici tremuére lacus,te Mancope vaſta,
Te Tanaita ferox,te barbara Volga tremebat.
Quare dum proprios argentea flumina curſus
Corripient,dumq; armipotens Lituania ſtabit,
Fama perennabit tua, laus æterna vireſcet.
NICOLEOS tali patrio de ſanguine cretus
NICOLEOS factis cœli venturus ad axem,
Et patriæ columen, quo ſe Lituania tellus
Iactabit,virtute potens,& fortibus auſis.
Prò ſuperi,ſpes quanta viri! quantum inſtar in ipſo!
Quanta ſeges laudū! quantos promittit honores.

Ergo

Ergo dum florens ætas, dum mollior est mens,
Traditur ingenii sacris cultoribus: illi
Edoceant claras fœcundi pectoris artes,
Instillentq; animo veterum monimenta tenello,
Quæ bona sint, & quæ fugienda, quid esse beatum
Obscœnūq; putet, quid fas, quid mentem animūq;
Tranquillet, Deus ipse quid & quid sacta reposcat
Patria: quæ Grajûm, quæ sit Romana vetustas.
Qualis & aërias perfoderit HAnnibal Alpes,
Scipiadas magnos bello, justumq; Catonem,
Et Decios, & cum socero te maxime Cæsar,
Et Catilina tuas noctes, Sullæq; tumultum,
Atq; trisecli senem Pylium, doctumq; bimembri
Æaciden, floremq; uirûm quos Græcia laudat.
Talibus hunc olim uox & mens docta magistri
Exercet monitis, & fidas conserit aures
Frugibus ingentis Sophiæ: tum rebus agendis
Eximium pectus prestanti roborat arte.
Ille silet placidus, patientem accomodat aurem
Consultis, & qui Moschos terroribus egit,
Pertimuit: metuens uirgę sic grandis Achilles
Montibus in patriis Centaurica pensa canebat.

Nicolaus Radiuilus traditur præceptoribus.

His monitis valido Musarum instinctus amore,
Sponte suā quę sit uitę sapientia quærit,
Avia Pieridum peragrans loca: sed via nulla
Inuia quærenti. Gelidus fons pręluit arces
Castalias, hic argutā spatiantur in actā
Agmina cygnorum: sed suaueolentibus herbis

Propter aquas Xyſtus nitet ęternis amaranthis
Diſtinctus lauro : ſummâ Sapientia regnat
Arce, parensq; VSVS, materq; MEMOria canis
Albentes, iuxta Muſę caſtiſsima corda,
Alternis miranda ſacras meditantur ad undas
Plurima, quę quondam Muſęus, & audiit Orpheus,
Et quos Aonio potauit Muſa liquore.
Huc celerās uenit RADIVILus numine dextro,
Ecce pii vates euincti tempora lauro,
Adſunt, & lęti circumſunduntur, at illum
Aonas in montes deduxit Terpſichorea,
Ipſa Caballino diuina Polymnia fonte
Proluit ora, caput tęna Parnaſside Clio
Aduelat, poſthæc in longâ veſte ſacerdos
Incipit effari Muſæus, & ora reſoluit :

Muſæi ſermo ad Radiuilum.

O lux Sarmatiæ, ſpes ò præclara tuorum,
O nimium magno fili dilecte tonanti,
Veniſti! agnoſco : nec te maleſuada reuicit
Ambitio, aut pellex ad facta neſanda voluptas,
Quin fortunatos ſaltus, ſedesq; beatas
Aſpiceres : ergo quæ nunc ex ordine pandam
Audi, tum memori poſthac in mente reconde.
PRINCIPIO, eſse Deum cœli, terræq; potentem
Scis, puer, hūc qui cuncta ſuo ſub numine torquet,
Atq; polos, fibrasq; maris, tenebrasq; ſilentum,
Nil ſinere occultum, uitasq; & crimina prorſus
Cernere, & ulciſci natos, ſerosq; nepotes.
Hoc te pæterea vero ſermone monebo,

Vt te

Vt te diîs similem, nec morti obnoxia mentis
Semina, sed tantum corpus, moribundaq; membra
Constituas, quantumque bonis post fata benignę
Lætitiæ, tantum commissa piacula sæuæ
Exercent sortes, ullo sine more malorum:
Nec te mundus iners, nec falsi gloria uulgi
Transuertat tumidum: vis scire quid orbis hic ingēs
Sit, quà terra patet? mecum cape montis Olympi
Culmina, uel quę tollit Athos: hinc aspice claram
Hellada, si superest: ubi nunc iacet alma creatrix
Sparta virûm? cur Palladias non cernis Athenas?
Puluis Olympiacus iacet alto puluere tectus.
Littora culta, viden'? statio maletuta carinis,
Et septem portæ, quid nunc? sine nomine tellus.
Ecce Platæarum locus, en Marathonis: at ista
Sanguine Barbarico rubuerunt oppida quondam,
Nunc ignota jacent nimis, æternumq; jacebunt.
Da mihi centū urbes Cretæ, bimareūe Corynthū,
Et portus & marmorea de rupe theatra.
Heu priscas strages! heu sancta cadauera, quondā
Ingentes animis, populisq; potentibus urbes
Sed quæcunque suo magnus circumuehit æther
Corpore, radice è tenui nituntur in altum,
Tempestate ruunt, momento vita tenetur.
Quæcunq; usurpant homines mundiq;, marisq;
Omnia mortali fato fundata memento.
Quin tu, si Radiuile cupis cognoscere mundum,
Mente insiste polum, quà se candore nivali

Immortalitas animæ, magnus ad virtutem illex.

Lacteus egregiis animis exporrigit orbis.
Ille globus terræ, quantum complectitur ingens
Oceanus, quem uos fertis MAGNUM Mare, nonne
Insula parua suis in sese nutibus acta?
Partim Sole calet nimio, partimq; pruiná
Alget, & in gremio uariis animantia formis
Sustinet, humanum genus, humanosq; penates,
Sed quam parva? viden'? nec vestri pœnitet alti
Scilicet imperii, quod uix punctum attigit orbis?
O vanos hominum fastus! o inania corda!
Heu quantum uestris apparet futile rebus?
Gloria nulla hominum, pudet ah, sed gloria nulla
Quin tu cœlestem patriam, cœlestia specta
Præmia, tollere humo: cœlo sunt omnia magnis
Fixa viris, ubi concentu, miroq; canore
Cœlicolûm, Domini facie, sceptrisq; fruuntur.
Quæ si regna placent, iam nunc iter arduus illud
Ingredere, Alcidæ quod duri semita monstrat,
Heroumq; notant vestigia, jamq; parentem,
(Hic tibi dux) imitare, sub hoc tolerare magistro
Militiam, & graue Martis opus, uerosq; labores
Assuesces, decoriq; ejus non deesse memento,
Qui te dat patriæ ciuem, populoq; volenti.
Nunc ego te puerum, mox in florentibus annis
Moxq; virũ cernã, jam nunc tibi TEMPVS AGI RES.
Et iam te fontes Vlæ, iam tecta Polotti
Expectant, jam te labens Respublica dudum
Poscit opem, veniet tempus quo te quoq; factis
Amplifices

Amplifices, nomenq́ tuum geminare triumphis
Incipias: MISERVM EST ALIENAE INCVMBERE FAMÆ.
En erit illa dies, cum terras prisca reuiset
Religio Domini, procul ò procul este tenebræ,
Cana FIDes præstò est: tū tu Radiuile memento
Relligionis opus studio defendere forti,
Cum furor arma movens, sæua pollentius hydra
Infremet, & contra ualidá nitetur opum vi.
Ergo ne cessa tantarum cardine rerum,
Sed contra omne nefas pro pace audentior ito,
Iusticiæ custos, patriæ uigil, auctor honesti.
Illecebris trahat ipsa suis te maxima VIRtus,
Sis pius, & magnis stirpem virtutibus æqua.
Si tibi Medorum imperium fortuna dedisset,
Nobilitas, sublime genus, ceræq́ uetustæ
Sufficerent, at Lituanæ rectoribus aulæ
Non hic mos, Virtute solent non sanguine niti,
Esse super titulos, factis anteîre parentes.
Et ne sis Phaeton Litauis ante omnia cerne.
Sis patriæ fidus, nec cum ad consulta vocaris,
Subrepat, commune malum, Priuata Voluptas,
Tu ciuem, patremq́ geras, patriæq́ maritum.
Quæ si mens facere est, tum se tua fama per orbē.
Sparget ad Auroræ populos, & littora rubra
Nubigenasq́ volans, transcendet gloria nymbos·
Antiquos mirare Duces, & jura tuorum
Disce, puer, primoq́ libens mireris ab æuo.
Et quia vix seris usus promanat ab annis,

Radiuilus religionis Christianæ & Euangelicæ defensor.

Ius patrium discendum equiti.

Annales evolve puer, castosq; poëtas,
Qui reges & bella solent intexere chartis.
Æternum cupide legit Pellæus Homerum
Bellator mediis in millibus: ò mea cura,
Hos lege: præterea, qui Suada ingente diserti
Æquarunt Ithaciq; niues, & Nestoris ora
Vnum illud Radiuile tibi, præq; omnibus unū,
Prædicam, & repetens verbis atque atq; monebo.
Ne te corripiat laudum tam dira cupido,
Neu sic uentosæ scandas fastigia famæ,
Pax vna triumphis innumeris potior. Silius XI. Speratis pacem ut cupias postferre triumphis.
Ne Martem, ne quære puer, bella horrida bella
Aduenient ultrò: spumantem sanguine cerno
Vlamq;, Dunamq;, novam faciemque laborum,
Æreq; fulgentes acies, tu fræna superbas
Accipere, & Litauis urbes parere iubebis,
Tu populos hostes ingenti Marte triumphas.
Sponte suâ volvenda dies en afferet unquam,
Arma tepefacies, Moschorum cæde: quid ultra
Demoror? factis Litavos super æthera tolle.
Talibus orabat vates Musæus, & olli
Nicol: Radiu. usu & experientia prudentiss. & consultißimus belli pacisq; urtibus. Incendit pectus famæ præstantis amore.
Ipse Senex vsvs solio se tollit ab alto,
Et iuveni munus donavit ferre: nec, inquit,
Sedibus his hospes sic indonatus abibis,
En vestes vario textas ex ordine rerum,
Sic ait, ast illum Musæ, simul omnis euntem
Deduxit chorus Heroum trans Hippocrenen.
Dulcis

DVLCIS Amor Famę,& supremę haud cōscia legis
Gloria, quæ magnas seritis sub pectore curas,
Qualibus hunc juvenem stimulis agitastis ab illo
Tempore, quo vestri percussus vulnere thyrsi,
Nocte, dieq; suo laudem cum corde putabat,
In vestroq; libens jam nomine suspirabat.
Vos propter mortale genus per mille pericla,
Per varias vitam certant effundere mortes:
Vestra spe in ferrum, metuendaq; monstra ruebat
Alcides, qui nunc fertur MEDIoximus esse.
Curtius haud hominum, sed vestis viribus actus,
Quadrupedem stimulis urget, majoribus ipse
Vrgetur, manesq; (ò vix credenda!) reclusos
Ausus inausa petit, patefactaq; Tartara claudit,
Victima quam DITI superi invidère potentes.
Ecce per obstantes natos, dulcesq; catervas
Regulus ingreditur vitam pro laude pacisci,
Quem nunc & Syrtes, quem nunc MASsilia tellus
Et gens æstifero Cancri diuersa sub orbe
Obloquitur, prohibesq; mori tu FAMA PERENNA.
Vos adeò & vestros agitans Radiuilus honores
Iampridem magnos orsus molitur, agitq;,
Iamdudum in curas animum diducitur acres,
Et nunc poscit equos, nunc MArtia spicula tendit,
Nunc æquęva trahens per campos agmina ludo
Flectit equos, ineunt cursus, variosq; recursus,
Et nunc aëripedes ceruos, syluasq; fatigant,
Nunc Martis, pugnæq; cient simulachra sub armis,

Gloriæ & Famæ stimulus.

Exercitia Radiuili in iuuentute.

Exercent

Exercent ſeſe bello, quo turbine telum
Torqueat, & quo quiſq; modo celer exeat haſtam.
Prima ætas bello teritur, Martiſq; labore,
Iam bicoloris equi ſodit calcaribus armos,
Et puro fulgens clypeo ſeſe arduus infert,
Ærea crinitur criſtis in vertice caſsis:
Iam curru valido ſpirantes naribus ignem
Ad juga cogit equos, campo bellatur aperto.
Nunc arcus ducit, donec curvata coirent
Inter ſe capita, & læua contingeret oras
Extremi chalybis, dextramq; ſub aure teneret:
Nunc haſta arietans, nunc fulmineum rotat enſem,
Atq; ferox animis, & ſpe jam præcipit hoſtem,
Iamdiſcit, quo more acies diffundere campis,
Et quo prima modo tentare pericula belli
Debeat, in turmaſq; viros componere tutas,
Armorumq; dolos, & belli concipit artes,
Vt foſſam ducat caſtris, & mœnia vallet,
Vt faciles, duriq; aditus ſuper urbibus altis,
Et, ſi fors infeſta parant concurrere ſigna,
Quo deceat rectæ faciem componere pugnæ,
Inſidiaſq; truces crepero ſuperaddere Marti
Iam bellum poſcit, iam Morduæ bella minatur

Bellicarum laudum & Triumphalis lauri amor in Nicol. Rad.

Pernitieq; grauem, magnos jam mente triumphos
Concipit, & ſæpe hoc affatu ambire parentem:
Mene igitur comitem tantis adjungere bellis
Abnuis? & ſolum te in certa pericula mittam?
Ipſe triumphati properas excindere Moſchi

Roboreas

Roboreas arces, & deplorata colonis
Arua, mihi ad laudes tantas pater ire negabis?
Non ita mî Famæ faſtidia: non ita priſci,
Quorum ſanguis ego quondam fecére parentes.
Eſt hìc, eſt animus lethi contemptor, & illum
Dextra iuvat, ſine militiæ perſerre labores
O pater: his ardens evexit ad æthera Virtus
Clara viros, quorum manus eſt ſpectata per arma.
Sic ciues, patriamq́ ſui fecére merendo
Heroës ſemper memorem: ſic itur in aſtra,
Hæc ait: at patrium pertentant gaudia pectus,
Expleri mentem nequit, amplexuq́ petivit:
O mea progenies, mea ſola & magna voluptas,
Macte puer virtute tuâ, haud indignus auorum
Eſſe cupis, non te indecorem Radiuile videbo.
Sic pater omnipotens faciat, qui cernit & omne
Fas jubet eſſe ratum, ſic magna incepta ſecundet.
At tu parce puer bello, ſcio quid nova poſsit
Gloria militiæ, quantum certamine primo
Primitiæ, & prædulce decus: ſatis ò tibi reſtat
Armorum, nondum Bellis concludere portam
Fata ſinunt, nondum licet aurea condere ſecla.
Nunc age Regalem Auguſti te confer in aulam, *In Aulā Regis Augusti traditur.*
Quem tellus Lituana ducem venerabitur, ille
Imperium ſollemne breui regnator habebit,
Auguſtus Litauæ dux Auguſtiſsimus oræ,
Cui tu par ætate, pari vos flore juventas
Condecorat, viridiq́ genas lanugine veſtit.

Hic ſuper ipſe tuã moliri laude labores,
Illius ante oculos diſces, exordia honorum
Incipe per medios curſus virtutis habere.
Sed quid ego hæc autẽ referã? quibus artibus ille
Fulſerit, & toti meritis præluxerit aulæ?
Vtq; fidem patriæ, obſequia haud indebita regi
Præſtiterit, iam tum decori florentibus annis.
QVAre Dux Litauus iamdudum talia cernens
Facta viri? & tantis deberi præmia rebus
Inclyta, ſic facie juvenis ſua lumina figens
Pauca refert: ô famã ingens, ingentior armis
Dux Radivile, tuus quando omnia munera ſupra
Eſt animus, quo te tanto dignemur honore,
Et quæ poſse rear pulcherrima præmia ſolvi?
Nulla meis ſine te parietur gloria rebus,
Seu pacem ſeu bella geram: tu fortis obibis,
Mox ſimul ac matura virum te fecerit ætas,
Bella aquilã, lituisq; tuis: te pectore toto
Ob merita & virtutes fit M. D. L. Pocillator.
Accipio cupidus, vox & mea dextera teſtis.
Imò ego quæ mihi cunq; Fides, quæ cura ſalutis,
In gremio tibi pono libens, tu pocula nobis
Miſcebis, quando regali ſtructa paratu
Menſa nitet, magnum, fidiſsime, concipe munus.
Contra quem fatur Radivilus: Maxime regum,
Me non ulla dies præclaris arguet auſis
Diſsimilem, ſeu pace velis, ſeu Marte paratum
Cognoſces, quemcunq; ferat ſors aſpera caſum,
Seu mihi luce frui, ſeu certè occumbere morti,
Fata

Fata DEi, cuius nutu moderantis eunt res.
O mihi tam longe maneant volventia vitæ
Tempora, nec citò mors animâ ſeduxerit artus:
Primus ego ingrediar te Dux Auguſte ſub auras
Ætherias inferre (tibi modò vita ſuperſit)
Et nomen laudesq; tuas extendere factis.
O tantum faueant cœleſtia numina cœptis,
Non me bellando vincet nec Scipio, nomen
Africa cui deuicta dedit, nec callidus Afer
Hannibal, huic Mars ipſe licet, Fors adſiet illi.
Ante tuas, duce me, fugiet Moſchouia turmas,
Ipſe lacus condet ſeſe Regnator in Albos,
Fidentesq; fuga celeri, fractisq; ſagittis
Trans Tanaim uſq; Scythæ fugiēt ad Caſpia regna.
Iam (ſine) bella gerāt hoſtes, ſed ſanguine Moſcho
Impia peruerſæ gentis perjuria ſoluam.
Ante tuos oculos victæ longo ordine gentes
Incedent, variæ linguis, armisq; virisq;,
Et Caſanum genus, & diſcincti Perreaslavi,
Rezaniiq;, ſagittiferiq; Moromones, atq;
Roſtouii, Tueriiq; truces, fortesq; Sevierj,
Et manus Aſtrachanûm ſpirantes pectore robur,
Extremiq; hominum, ad glacialia marmora Ponti
Errantes Duinæ: magni populiq; ducesq;.
At ſocia ingentes mirata Europa triumphos
Dona feret, nec non ingentes ære columnas
Ducent, ignotusq; tuam laudem audiet orbis:
Mox etiā tellus reuerebitur ipſa Libonis

Bielolezioro arx & lacus tutiſſimum latibulum Moſchi.

Aſtrachanū arx Moſchorū, ſed populi Scythæ, ubi volga in mare Caſpium influit.

Duinæ populi ad mare Glaciale.

Iura tua, Auguſtis ſeges acceſſura triumphis.
Talia Nicoleos regi promittit, & olim
Venturos illi magnos ſpondebat honores.

Auguſti Dominatus in principio tranquillus,

Interea quinos Sol circumvertitur annos,
Pace ſerenanti placidiſsima tempora præſtans.
Quæ maris eſt facies, quando Rex ipſe tridentis,
Per mare velivolum curru dat lora ſecundo,
Æquora lata ſilent, venti poſuére furentes,
Velificantq; citi nautæ ſuper æquora ſumma,
Hic ſtatus in Litavis fuit, & pax alma vigebat,
Cum tutos (ò nulla diu mortalia conſtant)
Fecerat infeſtos fines populator ab ipſo
Euxino fera tempeſtas effuſa peloro,
Terra iacet quondam Gottis habitata Poloucis,
Pontica cæruleis agros vbi ripa frequentat
Fluctibus, armiſono tellus dilecta GRAdiuo,

Tattarorũ & regionis deſcriptio.

Vnde Scythæ gens Caucaſiis e montibus orta,
Innumerum clauſas cautes examen Imai
Exuperans, fertur priſcos pepuliſſe colonos.
Rara ſeges creſcit, raras ibi meſſor ariſtas
Falce ſecat, raro terram molitur aratro,

Horda eſt natio ſeu gẽs unaquæq; Tartarorum: nam diuiduntur in Hordas ſeu populos.

Et penitus nullis crebreſcunt meſsibus agri.
Nec multæ lucent urbes, nec mœnia morti
Prætendunt, capiuntq; leves, magaria tantum
Apparent, erratq; in campis Horda profundis.
Effera ſtirps, cuius nunquam mansueſcere poſsunt
Pace animi, dirâ facie, turpiſsima vultu,
Mars oculis, Mors in pharetra, nam felle ſagittas
Mortifero

Mortifero celeres armant,& tela venenant
Perfida:dii talem Litauis auertite pestem,
Pars in Mancopio se exercent æquore,OVIDj
Stagnum alii pulsant (ubi plumbo cernitur ipso
Æterno paries compactus robore, longè
In mare protensus) patriam æquiparare sagittam
Certantes equitum lunatis cursibus: illic
Armentarius Asophides sua tecta,laresq;
Bucera sub plaustro iungens armenta,patente
Graminis in campo vehit, uxorumq; cateruam.
Sæuum à stirpe genus,prædas amor usq; recentes
Conuectare,viget parvo contenta iuventus,
Bellatoris equi tergo,quem siue senectus,
Sontica seu tabes ad limina mortis adegit,
Mactant,semustæ frustis epulantur equinæ
Et læti malis mandunt liuentia membra.
Postquã emota fames, mulctris turgentia tendunt
Vbera equæ,tepidoq; imitantur pocula lacte.
Ergo ubi præda deest,& Amor jã Martis inarsit
Pectore,Vollinios densi vertuntur in agros
More furentis aquæ,magnis quæ rupibus acta
Impete torrenti ruit, hinc vicinia tota
Mugiit,& nemorum syluæ intonuère profundæ.
At postquam latos intrarunt milite campos
Hippophagi, fumant crebris incendia villis,
Templa DEi flammis turpantur,cædibus agri,
Nec spes ulla fugæ, simul audiuère volantes
Et videre Scythas: vestigia flammea torquet

Mores Tartarorũ Tauricanorum qui Tauricam occuparunt anno 1211. ex Caucasiis montibus exeuntes
Adventum eorũ Comete inusitatæ magnitudinis per 18. dies, Maio mense apparens prædicebat.
Tartari lunatis cursibus præliũ ineunt.
Hippophagi Tartari & Galactophagi.
Volinia tũ M.D.Lit. provincia obnoxia incursionibus Scytharum

 Ocyor

Ocyor & Coro ſubitas glomerante procellas
Tattarus,& patriis Aquilonibus ocyor,agros
Terrificans armis,& telis aſtra laceſsit.
Vtq; lupi ſi quando datum eſt hædilia noctu
Irruere impaſtis,quos & leuiſomna canum vis
Neſciit intrantes,armillatiq; Moloſsi
Proflantes ſomnum,indicio ſagire nequibant,
Raptores imbelle pecus,mutumq; timore
Proſternunt,ſuadente fame,lacerantq;,trahuntq;:
Sic hoſtes poſtquam tranare Boryſthenis undas
Contigit, irarum laxarunt omnia fræna.

Vilna à Gedimine M. Duce L. fundata Anno Dñi 1321.

Gediminis opus tum diues Vilna tenebat
Auguſtum, quo conuentu numeroſa coibat
Nobilitas,lætosq; dies ſine fine trahebant,
Cum penitus totam vulgatur Fama per urbem,
Turbatam pacem referens,hoſtisq; furorem,
Iamq; ferè totis miſceri incendia campis:
Dumq; ſacri proceres lenta ad conſulta vocantur,
Ecce uolat juvenis medijs ex hoſtibus ægrè
Incolumis,ſudans & ſaucius ora ſagitta,
Necquicquã telumq; trahens, verſamq; pharetrã,
Ad regem duci poſcit,ſanctumq; Senatum,
Auxilium inclamans palmam tendebat utramq; :
Rex genus egregium,Iagellonidumq; propago,
In te iam ſuprema ſalus, tua poſcimus arma.
Vollinias ſæuus populatur Tattarus oras,
Vrbibus exitium, & villis immittit acerbum,
Iam bona pars terræ cineres conſedit in altos,

Pars

Pars Scythico mucrone jacet, pars colla catenis
Subiecit,captus iam Visneuecius ipse,
Pauci sustentant hostes,rariq; manipli.
Quàm multæ gentes avium per nubila tranant,
Quando grues reditū tepidas meditantur in oras:
Tam multi nostris adsunt in finibus hostes.
Nec numerum scimus,sed campos plurima turba
Occulit,& nubes densissimus imber obumbrat
Telorum,vidi,missamq; hoc ore sagittam
Excepi, venio media de morte receptus.
In te Sarmatiæ præstans regnator avitæ
In te oculos referunt omnes: miserere tuorum.
At vos ò lenti proceres,quos scire decebat
Quid fortuna ferat nostrûm,quos hostis inermes
Desertos vexat bello,concedite tandem
Hanc libertatem fandi,sat damna propinquæ
Vidistis gentis,jam desolauimus agros
Funeribus,nec vos,proceres,hæc cura remordet.
Nos animæ viles infleta,& inulta caterua
Euxinum trahimur,vos hic convivia luxu
Ingenti struitis: vos gazam effunditis omnem
In cœnas,hostes equitant acuuntq; sagittas:
Nulla mali finis,patresq; senesq; cruentant
Maturos ævi,pueri innuptæq; puellæ
Matribus Asophidum ducuntur munera belli.
(O patria! heroū quondā domus inclyta!)quę vos
Accipient terræ miseros? pars heu mare magnum
Aspicient,transtrisq; manus bello apta teretur.

Querela Equitū comcommunis.

Pars

Crimum sedes Tartarorum Tauricanorum

Pars Scythiam, & rapidas Crimi venietis ad undas.
Tam veniente die, quam decedente querentur,
Vollinios fines Rhodopes ſub rupe dolebunt,
Volliniam ah dulcem trans æquora trina vocabűt,
Volliniam liquidis geminabunt flumina ripis.
Vobis deſidiæ cordi, perfuſaq; veſtis
Murice, nec patrię miſeretúe pudetúe laborum.
O vere Litauę, neq; enim Litaui, ite choreas

Tartari choreis lunatis ductis præliantur.

Ducite, fors molles ſonitus, & tympana veſtra,
Audiuere Scythæ, & rapidas duxere choreas.
Quin agite, ô ſi quid patrii nuc Martis habetis,
Imus in aduerſos hoſtes, & ſumimus arma,
Nec tantis mora conſiliis, en vivida bello
Turba hominű, Deus ipſe viros animűq; miniſtrat.
His onerat dictis proceres, & crimen acerbat,
Conticuit tandem, lachrimasq; abſterſit ab ore.
Vix ea legatus, variusq; per ora cucurrit
Primorum tremefacta fremor, ceu quando ſilere
Incipiunt fluctus, nec adhuc, penitusq; ſileſcunt.
Vt primum iuſſi voces poſuere frequentes.
Talibus Auguſtus ſolio Rex infit ab alto:
Ante quidē proceres uellem iſthæc ſcire, priusquā
Barbaricæ terras intrarunt Marte cateruæ,
Non nunc, fortè graui quando perculſa ruinā
Cuncta iacent, agrosq; inſultans obſidet hoſtis,
E tot ſunt homines tenui diſcrimine lethi.
Vitam ńe exanimis poſcunt? non ſi mihi præſens
Iuppiter ipſe, queam victos arceſsere manes.

Sed

Sed quò relliquias tutemur,& impia saltem
Ante obitum misero soluamus vincula civi,
Híc consulta opus,& mature facta virorum.
Nunc adeò,quæ sit nostræ sententia menti
Exsequar,& paucis (animos aduertite) dicam.
Est mihi Dux præstās Radiuilo sanguine cretus
Nicoleos,genere & factis notissimus heros, *Nico Radiuilus Dux eligitur in Tartaros anno 1549.*
Hoc ductore volo,& sic stat sententia,ferre
Auxilium populis,vestrum proparare cateruas
Florentes armis,& bello fortia corda.
Dixit,at unanimes regem,regisq́ probarunt
Consilium proceres,simul exhortantur in hostem.
Nec mora conueniunt,quibus aut præclara cupido
Bellandi, vel quos stimulat vindicta suorum.
Erdiuiloniā sese innxere sub arce
Collecti,Nouogroda vetus quæ nomine fertur.
Inde spei pleni celerant,castellaq́ Slucæ
Prætereunt,Moserum volitantia signa ferentes,
Puluereamq́ citi nubem super arua ciebant.
Ipse decus summum Radiuilus vertitur ardens
In medio,sequiturq́ acies,& præterit: & jam
Præsentem pugnam campo sperabat aperto.
Ecce Scythen trepidum penitus de finibus ipsis
Discessisse ferunt,& adhuc vestigia campi
Tristia cladis habent: eadem impia Fama vicissim *Fama in nouis Imperatoris cæptis ualidissima*
Detulit aduentum Radiuili, jamq́ subire
Volliniam Litauos: ergo gens dira,fugāq́
Assuetā fidens,trepidā formidine sese

d Proripit,

Tartari audito aduentu Radiuili ac exercitus Lituanici fugiunt.

Proripit,in pedibus vitam posuére, lupi ceu
Armentis pasti,quando inter fortia ventum est
Robora custodum,fugiunt pede præpete cuncti.
Indoluit tantâ Radiuilus imagine rerum,
Et stetit obtutu tacito,multusq; recursat
Mente dolor : multis curarum fluctuat undis:
Nec lacrymis caruére genæ, sed conscia virtus
Æstuat,ingenuusq; pudor : nihil omnibus actum
Magnorum impensis operum? quò,perfide,dicit,
Quò diuersus abis iam Tattare,degener hostis?
Heu quid agat: quâ Crimicolas perquirat in ora.
Ardet : captiui cives,immitia in ipsis
Funera sunt oculis : non hæc promissa potenti
Discedens dederam regi,sed mille trophæa
Pollicitus : nunc hostimenta rependere sæuo
Non licet Hordigenæ : cœlestia sydera testor,
Nom me pro uobis ullum fugisse periclum,
Quos inimica manus patriis abduxit ob oris,
Nec vitasse vices nimbis hostilibus ullas,
Molirer clades,memet super ipse dedissem:
Sed contra placitū superis, Deus arbiter hoc vult.
Heu quæ vos terræ? quæ vos sola barbara cives
Expectant! hæc multa manus ad cærula templa
Tendebat dicens, lacrymæq; per ora volutæ.
Nec tamen interea res parua effecta,sed hostis
Vera fugæ jam terga dedit, fassusq; timorem,
Nec potuit Litauis cædes inferre colonis,
Vastificasq; manus latis diffundere campis.

SEV TER rore dato cesſit victoria, ſiue
Sorte venit Martis, quis id in ductore requirat?
At REx Auguſtus tantæ virtutis amore
Compenſans meritum, populi committit habenas
Trocenſis, Litavi vt ſit iam pars magna Senatus,
Atq; PAlatini titulum, nomenq; capeſſat:
Et magis atq; magis patriam defendere magnam
Aſſueſcat: ſedenim VIRTVS Donata vireſcit,
ACCEnduntq; magis claras data præmia mentes.
Palladio veluti vivunt ex rore lucernæ,
Ac magis infuſo lucent, ſurguntq; liquore:
Sic, virtus neglecta jacet, laudata ſub aſtra
Tollitur, & ſuperis tandem ſe nubibus infert.
Et jam Fama viri nitens præſtantibus auſis,
Phaſidos ad fluctus, Calcantis & oſtia nigri
Venerat, horrebant fera ſtagna Mæotidos undæ,
Pax iterum pulſis bellorum nubibus alma
Exierat, placidoq; ſinu veneranda fouebat
Sarmatiæ populos, anno cum diuite donis
PACIS ALVMNA CEres, frugum mitiſsima mater
Certabant: pariter lætus frondator ad auras
AVGuſtum regem, AVGuſtum ſublime canebat,
Et te promeritum laudes RADiuile ferebat.
Sed quæ nos oculis ſubitò impia faſcinat Ate?
Atq; diu (res ſi qua diu mortalibus uſquam)
Pace frui Litauis invidit ſæua Dearum?
Terra Liuona patet, ſeptem ſubiecta Trioni,
Frugis honore potens, & ſtagna liquentia diues,

Ob merita et Fidē dōatur à Rege Palatinatu Trocenſi.

Calcas flu: Tartariæ.

Auguſti regnum felix & diues ac omnium rerum abundātia affluēs.

Occaſio belli Liuonici.

Turrigeris latè collucens arcibus: illic
Furſtembergus erat princeps, GERMana propago:

Germani Balthicomari venientes Lotauos populos longo bello oppreſſere.

Germani victis ſibi tranſcripſere colonis,
Omne ſolum, portusq; maris, jamq; inde dicatus
Militiæ Cruciger populos ditione premebat,
Stirps inviſa virûm, quIs nec ſacra fœdera curæ,
Nec metus, aut regum fuerat reuerentia cordi.

Crucigeri ſuperbi & crudeles, fædifragi.

Atq; hinc prima mali labes: hæc ipſa ruinæ
Fatali involvit gentem fiducia rerum.
Cœperat armipotēs preſſum obſidione MAgiſter

Vilhelmus M. Brandeburgeñ Archiepiſcopꝰ Rigenſis, à Furſtēbergꝰ Magiſtro captus.

Pontificem Rigæ veteris, pœnisq; luendis
Nullus erat finis, cum duro carcere motus
Auguſtus Fratris, quem BRandeburgica gentis
Inclyta imaginibus lu: ſuſtentabat avitis,
Hortatur, paſſum tot jam non digna remittat
Pontificem, orator ſuper iſtis Lanſcius ibat,
Pacifico ſermone parans cor flectere ſæuum.

Lacki legatus ad Furſtembergū.

Aſt illaudatus Cruciger, pacemq; peroſus,
Fas omne abrumpit, Lanſcum nil tale merentem
Obruere, (ut fama eſt) ferroq; abſumere iuſsit,
Voluitur hic triſti letho, pulchrosq; per artus
It cruor, inq; humeros cervix moribūda recumbit,
Paciferæq; manu lauri fluxere decorā.
Ora modis referunt comites fœdata malignis
Æthere caſſa pio, tum verò ardentius iræ
Aſſurgunt Litavis, regem obteſtantur, & arma
Arma fremunt, & ſe certatim hortantur in arma.
Stant belli cauſſæ, vindictam numina poſcunt.

SED

SED Regi, quamuis pollutæ munera pacis,
Et foliis oleæ Concordia vincta capillos
Sola placet, cunctos illam fert ante triumphos.
Ergo iter ad tumidum Germana mente Magistrũ,
Legato indicit, delecto ex ordine patrum.
Ni fratrem soluat cuncta irrita fœdera sunto,
Contemptor pacis bellum speretq́, paretq́,
Omne illum (faxo) damnumq́ nefasq́ manebit.
Hæc ubi Pontificis jam Furstembergus ab ore
Audiit (infandum) magnas exarsit in iras,
Et ni Fama virum tutetur & infula, vix iam
Temperet à manibus, tum respondentis ab ore
Absistunt Diræ, digna atq́ indigna relatu
Vociferans, tandemq́ ora indignantia soluit:
Villelmumñe hominũ quisquam, Diuûmq́ coëgit
Bella sequi? aut hostem terræ se inferre Liuonæ?
Indignum est fratrem Augusti tot acerba ferentem,
Et bello victum retineri carcere nostro:
Quid terras, arcesq́ meas, & sceptra Liuonum
Prodere Sarmatico, Rigam, memetq́ tyranno?
Quid, Curios Prussis, Fratriq́ parare ferendum?
Nos aliquid contra fraudes cœpisse nefandum est!
Haud equidem iustis, vanisq́ assurgitis iris.
Syluis te, Lituane, feras agitare putasti:
Scilicet exitium terris immitis apertum,
Ignarus cui det præpes VICToria palmam.
Bella gerenda? geram: sua cuiq́ exorsa triumphos
Pernitiemq́ ferent, & mî penetrabile ferrum,

Augustus ad bella lentus, nam celeritas infamis naufragiis.

Episcopus Samogitiæ Legatus alter ad Liuoniæ Magistrum.

Senec: Thyest: Quid iuvat reges cunct.

Et noſtro ſaliet (ſciat hoc) de vulnere ſanguis,
Nec timor ante tubam languentes occupat artus.
Experiare Cataphractus Germanus in enſem
Vt validus ſurgat, quo turbine tendat in hoſtem:
Nulla mora in Furſtembergo, nec bella tremiſco,
Nec mortẽ horremus, Litauûm nec parcimus ulli.
Hæc Regi Auguſto Cruciger reſponſa remittit.

Crucigerorũ Germanorum ſuperbia.

Ille quidẽ hęc tumidus Germano more tonabat,
Neſcius euenti triſtis, ſortisq; futuræ.
TALIS MEns hominum, quando ad faſtigia ſũma
Fortunæ ventum eſt, ægre conſiſtere poſsunt.
Sed Rex Auguſtus ſedato corde locutus:
Heu ſtirpem inviſam, & nobis per ſæcula gentem
Inſenſam, noſtrisq; bonis contraria corda.
Debita Barbariæ, Muſulmannoq; feroci,
Chriſticolam in populum conuertere tela neceſse.
Hoc temerata Fides cupit, hoc injuria gentis.
Cogimur, heu, pacemq; inviti linquimus, inquit.
Nam mihi certa quies, & Martis abhorret imago.
Sed te Furſtemberge neſas, te triſte manebit
Exitium, ſciat hoc immenſus & audiat orbis.
Tollite jampridem felicia, tollite ſigna
Sauromatæ, reſides bello, veſtite Liuonum
Pinguia culta viris: at tu Radivile tenebis
Imperii ſummam, ducis & tu concipe munus.
Hæc ait, at juvenes Lituanæ robora pubis
Conveniunt, armisq; decentibus agmina jungunt
Prædita: pars pedes ire parat, pars ardua campis,
Infert

Infert ordinibus se dispertita, gementem
Concutiens sonitu tellurem quadrupedanti.
Hos inter simul Augustæ prætoria turmæ
Effulgent, alacres animis, lectusq; viro vir: *Miles corpus, arma, animum paret, cetera Imperatori curæ.*
Delphinum similes, qui per maria alta secundis
Ludentes glomerantur aquis, sub lumine Solis.
Nomine quenq; vocat RADIuilus, & incitat acres
Ad bellandum animos, tum quæ sit tessera bello,
Herculeâ armatus clauâ dicebat ab alto. *Numerus exercitus Litu, & Pol.*
Omnes centenis ardentes millibus ibant
Posuoliam, tacito Martem sub corde cientes. *Pugnare te conduxi miles, non conuitiari.*
Parte aliâ sacras acies, Marianaq; signa
Furstembergus agit, Germanorumq; Phalanges
Educit, pictos crucibus, sed vestibus albis. *30000. exercitus Liuonici.*
Commendatores densa inter tela feruntur,
Centauris similes grauibus, post quenq; secutus *Equitatus German:*
Armiger: in medio clarum fulgore magistrum
Cernere erat maculosum auro: cui lumina flãmas
Clara vomunt, Solisq; ardoribus arma coruscant.
Consequitur nimbus peditum, clypeata videres
Agmina densari campis, & feruere Marte
Posuoliam trepido: qualis mellatio cum fit
Exit apum plebs, tale fuit per plana, per æquor
Examen juvenum, melius virtute timendum
Partibus Eois, vel vbi Rhodopeiæ arces.
Sed mediis turmis, volitantia flamine signa
Discernunt acies, sæuit Mars impius, & jam
Signa canit ruptâ gaudens DISCORDia pallâ.

At Pater OMnipotens iram indignatus inanem
Terrigenûm, atq; pari binas libramine lances
Sustinet auratas, huc aspera Fata Liuonæ
Et Litauæ gentis ponens, æterna perennis
Consilia exsequitur: sed Lanx PRONOEA Liuones,
In terram penitus, Litauos ad sydera duxit:
Annuit Omnipotens: Tellus, & Conscius Æther
(Intremuere: at tu dictis GERmane maneres,
Divitis hoc vitium est auri, quod fœdera temnis.)
Iamq; super densas volitans VICTORia turmas,
Ad Litavos gressum propius flectebat ovantem.
Iamq; acies utriq; suas, stragesq; cierent,
Ni tua mens superi monitu Radiuile parentis
Exoriens, mallet pulchros sine cœde triumphos.
(O decus, ò nullos Dux elaudande per annos!)
Et tot utrinq; breui miseratus pectore ab imo
Corpora Christiadûm, cladesq; ante ora recentes,
Milliaq; insano jamjam peritura duello,
Ingemuit clemens princeps: quin ipse magister,
Vt propius ventum est, simul agmina circumspexit,
Obstupuit dubiâ turbatus imagine belli,
Estur, & ingenti formidine deficit ipse.
Quæ DVx ante alios prudens cum cerneret, ultrò
Consulit, & tales effudit pectore voces:
Supprimite, ò acies, hæc dū memorabo, sonora
Classica, dumq; licet nostras audite loquelas:
O fortunatæ gentes, felicia regna,
Quæ vis impellit funesta arcessere bella?

Dei fatalis dispositio Liuoniā afflixit, quis scit an non in illorum bonum?

Radiuilus sine cæde et iactura militum Liuoniā M. D. Lituaniæ adiunxit, Dignus triumpho OB CHRISTIANOS SERVATOS.

Nico. Radiuilus Liuoniæ Magistro deditionē suadet et persuadet.

Seneca Oedip: Nō expedit concutere felicem statum.

Quis

Quis vobis oſcen,quis nam perſuaſit haruſpex,
Quæ ſpes AVguſtum populis, terrisq́ potentem,
Vinci poſse manu? quianam fera bella tumeſcunt?
Quid ſtruitis? num vos vana ſpe cærula ducunt
Dorſa maris? pelago auxilium ſperatis jnane.
Iamq́ omnis filo pendebit terra Liuona,
Ni melior vobis mentem ſententia mutat.
At tu quid miſeros in aperta pericula cives
Proiicis, ò fortuná animis elate MAGiſter
Ira, nefasq́ tuum fortaſse erit ultima cauſsa
Cur propria careant mox libertate Liuones,
Nec nos te,ſed tot perituros Marte dolemus,
Et viduas matres,& belli damna furentis.
Quin vos,quãdo viã dat adhuc fortuna,propinquis
Iungite res veſtras Litauis : agnoſcite REgem,
Quas hinc cernetis vires? quæ ſurgere vobis
Præſidia, in validos hoſtes, Moſchumq́ furentem?
Projice tela manu,& Regis venerare coronam,
Hortamur potiùs,quæ cogere poſsumus armis.
Sic ait,& gemitu conſurrexere Livones
Ingenti,poſtquam circumſpexere nitentes
Per Sventæ ripas acies,denſasq́ cohortes,
Vnanimes triſtem concordi voce magiſtrum
Circumſtant,pacem poſcunt, pacemq́ fatigant,
Ilicet ad Regem veniat,ſuaq́ omnia tradat.
Iam Rex magnanimus ſolio conſederat aureô,
Cum Furſtembergus caſtris,fluuioq́ ſubibat,
Primores equitum tercentum ex agmine ducens,

Ex Ioue ſunt Reges. Callim.

Transmarina auxilia incertiſsima.

Non licet in bello bis peccare.

Suaſio ab eo qui iubere poteſt, vim neceſsitatis adfert. Tacitus.

Insignes armis, sacrata veste Liuones:
Ille humilis, supplexq; manus tendebat inermes
Ad Regem, largus lacrymæ, dextramq; precantem.
Hæc dicens: Equidem metui clarissime Regum,
Vtere sorte tuâ, qui nec miser ipse quieui,
Nec te pace frui permisi, accendere bella
Infelix potui, sed non restinguere fas est.
Quod te per superos, & nostræ fata senectæ,
Quæ mea turparunt infesto tempora casu,
Per si qua est quæ restat adhuc clementia sancta,
Parce precor, Litaui jam me videre precantem.

Deditio Magistri Liuoniæ & Ordinis totius.

Incipere bellum etiam ignauis licet, deponitur cum victores velint. Salustius.

CEDite jam Latii Ductores, cedite magni
Mopsopii, & Thebæ, nullos de pace triumphos
Sciuistis, currus fœdastis sanguine eburnos,
Primus hic ex letho servatis hostibus ingens,
Æternas lauros, & viva per ora triumphos
Rettulit: hinc senibus narrabit gloria seclis
Virtutem, nomenq; viri, laudesq; perennes:
Consiliis attonsa tuis RADiuile Liuonum
Gloria, quos neq; trux Vitenes, Doumãtus & acer,
Vincere tum potuit, uictor sin cæde triumphas.

Boni Imperatoris est, sine ciuium iactura vincere.

Nam quis inexhaustos sit par æquare labores,
Æternare volens Phœbeæ mentis honore?
Iam poteras tantis mortem contemnere factis,
Atq; tuis jam sanguineus Mars iure triumphis
Cesserit, en etiam te gloria tollere certat,
Belligeraq; sacrum caput advelare corona.

RADI-

RADIVILIAS ALTERA

ARMA SONANT, arma ecce ſonant, tua Magne Triumphe
(Accipio ſonitum) clareſcunt arma tumultu.
Pars operis ſupereſt, & jam me viribus hauſtis,
Defectũ agnoſco: nunc nũc mihi cãdide Smyntheu
Prolue defeſſum pectus Permeſſide lymphâ,
Nũc opus eſt veſtro, mea Melpomenea, cothurno,
Aſpirate Helicone ſacro, cantusq́ movete.
Poſtquam magnanimo ſe permiſere Liuones
Auguſto, idq́ Deo viſum, pax undiq́ fulſit,
Mollia compoſitæ peragebant otia gentes
Deſunctæ Litauûm grauibus, belliq́ periclis,
A Moſcho grauiora manent, hoc fata volebant
Heu miſeras gentes crudeli involvere bello.

Ivani Baſi-lidis M. D. Moſchorũ colores. & tyrannis.

Sceptra dabat Moſchis atrox Iuanus acerba
Contemptor ſuperũm, portentum hoſtiñe ſuisñe
Sæuius ignotum, ſed inexaturabile pectus
Sanguine, diî talem populis avertite peſtem.
Credibile eſt Diras, aut ſi qua nocentior illis,
Gentibus eſt facies, monſtrum genuiſse nefandum,
Vberibus Stygiis Diras pauiſſe nocentes,
Et lac Tartareum Furias admoſſe recenti,
Sanguineáq́ ſiti cor & incendiſſe medullas.
Quid memorem inſolitas cœdes, & facta tyranni

Tyrannus plenos utres suspendit. Diogene:

Effera? mactatos cives, primosq; Senatus,
Obscœnasq; dapes, lituos, mensasq; cruore
Manantes? aut quid viduatas civibus urbes,
Et desolatos iteratis cœdibus agros.
Mortua quin etiam portis trabibusq; præaltis
Corpora conjugibus ferus appendebat in ore,
Exuperans omnes infanda mente tyrannos,
Nunc comes Aloidum, Stygis intestabilis umbra.

Deus tyrannis ad vitia corrigenda utitur.

Ergo erat in fatis, ut lamentabile regnum
Eruerent Moschi, nec nobis scire tonantis
Fas animum, quibus illa malis exercuit iras
Terra Dei: ille vices orbis mutatq;, regitq;.

Moschus in Liuoniā misit exercitus aliquot. anno 1555. & 1556.

Irrumpunt Moschi numeroso milite, flammæ
Persimiles, segeti quæ flatibus incidit Austri:
Squalet ager vastus, populos, urbesq; sepultas
Obruit usq; cinis, fruges, camposq; feraces
Flāma metit, Litauoq; imperdita corpora Marte
Occumbunt, superat vesana licentia ferri.

Moschorū in Liuonia inaudita ex omnibominum memoria crudelitas.

Quis cladem vestram? quis funera dira, Liuones
Tormentiq; modos, furialia facta tyranni
Explicet? aut possit lachrymis æquare dolores?
Nam quid ego inprimis autem, quid deniq; fando
Exsequar? occisosne querar per vulnera cives?
Anne volutantes natos in sanguine patrum?
Raptatasq; (nefas) matres, tenerasq; puellas
D..iectasq; urbes, populataq; funditus arua?
Templorumńe faces, an diuûm undantia fana
Sanguine, porrectum littus sudasse Rubonis?
Quæ regio in terris vestri non gnara doloris?

Abductosńe gemas lugubris terra colonos,
Deletas acies, totis data funera campis?
Agmina bellantum juvenum, & sub Marte cadentū,
Impubesńe fleas pueros terrore revictos?
Trux vultus pro vulnere erat, complexibus ipsis
Immoriebantur miseri : sic primula veris
Dona cadunt, ventis si quando perhorruit æther.
Addubitant quæ prima gemant: civesne per auras
(Ora indignatos crudelis dira tyranni
Aspicere, ardentes invisam linquere lucem)
Turbine pulvereo magnis de turribus actos,
Quæsitasq; vias cœdis mortalibus ægris,
Quas etiam Phalaris, quas & Busiridis aræ,
Et populo invisi nunquam sciuere tyranni.
Purpureo passim rorabant sanguine tesqua,
Et visum latos tumulis assurgere campos.
Nec fuit indignum superis, tot mœnia & urbes,
Barbarico capiti crudeli exponere prædæ,
Hæc tua sunt damna Ivane ò sæuissime regum,
Qui vitio facinus, qui cœdem cœde piabas.

Vendenses seipsos, supposito Curiæ puluere tormentario, cum uxoribus ac liberis, interfecerunt metu Tyranni.

Forsitan & magni fuerint quæ Fata Magistri,
Posteritas seris posthac mirabitur annis:
Vt validas arces sub leges misit iniquas
Moschus, & infando prolapsa Liuonia casu,
Nescio quæ mentem turbauit inutilis Ate
Furstembergiadæ, ut sese committeret uni
Felino, & paruā vellet tutarier arce
Spes gentis, propriumq; caput : sed perfidus hostis

Furstembergus in arce Felino captus à Moscho, & in vinculūmortuus.

 Dejicit

Dejicit horrendis muros, turresq; procellis.
Heu quo non aurum penetrat, mox panditur hosti
Arx Moscho : irrumpunt illi, primusq; Magister
Canitiem immundo fœdatus puluere prorsus,
Infelix patriis æternum abducitur oris.
Omnibus exemplum quantum Rhamnusia fallax,
Proruat, & pedibus, quæ stant, iniuria vertat.

Miserabilis Liuoniæ facies.

Tum vero exoritur tota regione Liuonum
Luctus, & adductis planxerunt pectora dextris.
Talis erat facies, cum flammis Pyrrhus obarmans
Myrmidonem, Iliacæ præsens insisteret urbi,
Hectoreusq; puer turri cecidisset ab alta
In patriæ cineres, commisto pulvere cœlum
Stare videbatur, trepidæ sic mortis imago
Ante oculos, gemitu fremuerunt littora Dunæ,
Atq; fluentisoni tractus, syluæq; profundæ.

Auxilium Liuones ab Augusto et Lituanis poscunt.

Mittuntur lecti primorum ex ordine ciues,
Auxilium præsens Regem, Litauosq; rogantes:
O sate gente pia, magno de sanguine crete,
Venit pœna ferox & ineluctabilis ira,
Syderea demissa domo : ni maxime Regum
Auxilium deditis præstas nihil abfore crede,
Extremum nobisq; diem, terrisq; Liuonum:
Hinc pelago Sveones, illinc Moschovia terra,
Bella cient, squalent mactatis arua colonis,
Excessere simul Laus, Libertasq;, Salusq;,
Famaq; priscorum quondam decora alta parentũ.
FUNDITUS occidimus, Rex in te Magne recũbunt

Spes

Spes nostræ : satis ò luimus periura prisca,
Eripe nos, Invicte, malis, gentisq; peremptæ
Res tenues arce letho, miserere tuorum,
(Esse tuos supera astra sciunt) exolve periclis,
Nec patere usq; tuis Moschum increbrescere terris,
Plebiuorum Regem, populiq; insontis Erinnym.
At tua per gentes quascunq; obnubit amictu
Oceanus, vivet laus, Augustusq; fereris.
Talibus auditis, jam dudum corde volutat
Bella, tot injustæ cœdes, & Moschus in ipsis
Est oculis, licet egregiis pax sacra tryumphis
Sit potior, bellum tamen est pro pace gerendum.
Nulla mora est, rapitur bello Litvania tota,
Auxilium sociis, sedit sententia pugnæ.
Ipsa Fides bellum indicit, portasq; morantes
Impulit ipsa manu, vindictam ex hoste reposcit.
Ite bonis auibus pia pectora : heu quibus illi
Concurrent animis, si nunc se objecerit hostis
Optatus votis! ergo fausto omine tendunt
Egressi : regit imperii Radiuilus habenas.

Nicol: Radiuilus cum Lituanicis exercitibus in Liuoniæ defensionẽ proficiscitur. Anno 1561.

Hunc cecinere Ducem Parcæ sua stamina nentes,
Hunc fore Moschorum sciret qui vincere gentes,
Et bello audacem populum compescere posset.
Evenêre : novis simul ecce Liuonia fulsit
Agminibus, fugiunt ingloria pectora Moschi.
Tavrvs erat magnis educta arx molibus, ingens
Bellum acuit, fiditq; viris, & mœnibus altis:
Huc acies Litauûm magnis descendere campis

Oppugnatio munitissimæ arcis Liuoniæ Tauri quã Moschi ceperant.

Incipit,

Incipit, & premere ingenti obſidione capeſsit.

Oratio Radiuili ad Milites. Hortatur memorans RADIVILUS facta tyranni
Effera: ſat nunquam gentes ſpoliaſse quietas?
Terrificaſse minis agros, urbesq́ potentes?
Et ferro populos nil ſuneſtaſse merentes?
Lituanis etiamne hoſtem ſe inferre ſit auſus?
Vos etiam cupiat quibus ille POTentior Auctor
Annuerat pacem, rabioſo perdere bello?
Non impune ferat: date tela, ſcandite muros,
Ferte faces, dirumq́ genus ſatiate cruore.
Arcem hanc, ni frænum accipiat, portasq́ recludat,
Quamuis tuta loco, & ferratis tuta proceliis,
Eruam, & æqua ſolo ſublimia culmina ponam.
Hæc ait, inſignis ſtellatâ jaſpide clauâ,
Idem omnes ſimul ardor habet, ſub mœnia tendũt
Vnanimes urbem vel debellare ſuperbam,
Aut ſi nulla via eſt generoſâ occumbere morte.

PRINCIPIÒ vaſtis oppugnant molibus arcem,
Atq́ decus muri turres ſub ſydera ductas
Proſternunt crebri, volat immedicabile fulmen.
Oppugnatio Tauri, anno 1561. Cui ſors & ſilices Cyclopica mœnia cedant,
Eruere inter ſe certant, magnoq́ fragore
Dilaniant muros tormenta: it murmur & altê
Conſtrarunt terram concuſso rudere muri,
Ingemuit tellus confunditur arduus æther.
Semineces Moſchi ſumma volvuntur ab arce,
Sævit atrox rabies, miſsorumq́ ira globorum,
(Horreſco referens) quàm ſi cœlum omne ſupernè
Corruat,

Corruat,aut quatiat terras Pater Enoſigæus.
SED neq; fulmineasq; minas,ictusq; tremiſcunt,
Indejectæ arces, ſtant ut CENtaurica ſaxa
Præruptis inſana jugis,ac prælia temnunt
Ventorum,&,quamvis illis obnoxia,fluctus.
Multifidas alii jactant in mœnia tædas,
Atq; aditus fruſtra per denſa pericula quærunt.
Sed non ſub tanto ceſsabant cardine rerum
Pectora Moſchorum morti deuota cruentæ, *Moſchi peritiſsimi propugnandarum urbium.*
Omne genus contra telorum effundere certant,
Abruptosq; globos tormentis grandibus igne
Ejiciunt,nimbumq; grauem ſine more feneſtris,
Fuſileq; obſcuro plumbum miſere tumultu.
Multa virûm letho dant fortia corpora, multos
Demiſere neci ſtantes pro turribus altis:
Et quantum Litavi connixi viribus arcem
Expugnare manu,ſummaq; evertere opum vi
Ardebant, tantum Moſchi defendere contra.
Abſumptæ in Moſchos vires,exhauſtaq; belli
Inſtrumenta,ſubeſt VIRTVS BENESVADA,vetatq; *Non deſperandum in bello.*
Deſperare, NOVANT MARS ET FORTVNA REGRESSŨ,
Splendidiorq; venit, PER MVLTOS FAMA LABORES:
Troja rates Danaûm decimũ remorata ſub annũ,
Spartanisq; dedit MESSENE obſeſsa nepotes:
Meńe decet victum bello deſiſtere cœpto?
Ergo caput dirum ſtrages impune cruentas
Ediderit? ſocios vita ſpoliauerit ille?
Non hoc tot curis,& tota mente petiui.

Hæc alternanti Radivilo nocte,dieque,
Consilium præsens subiit,tellure sub imâ
Percontari aditus: hæc tentamenta supersunt
Vnica (nam quid non mortalia pectora cogis,
Cuniculis Taurus aperitur. Laudum sancta sitis?) terra rimantur in ipsa,
Quà via nulla,vias: itum est in viscera terræ,
Turrifragoque uterum complerunt pulvere furtim.
Quò simul ac ductus depascens flamma cucurrit,
Infremuit tellus,gemitumque dedisse profundum
Visa, immugit humus,totusque perhorruit aër,
Ora soli donec vastâ convulsa ruinâ
Dissiluêre : simul laxa compage dehiscunt
Mœnia,cumque viris lato proiecta fragore.
Panditur arx omnis,nova res oblata timorem
In bello primum oculi vincuntur. Injicit inprimis oculis,formidine capti
Perquirunt latebras, pressere ad pectora natos
Perculsæ matres, tum fœmineo ululatu
Omnia complerunt. sed dudum mortis amici
Arma manu capiunt,nec jam sat mentis in armis.
Densa corona virûm celsis pro turribus astant,
Arrectis frons prima hastis,longisque verutis,
Ante oculos mors est,cogit labor ultimus omnes:
Moschi repararunt hiatum. Pars trepidant flammis populata refundere tecta,
Dumque sinit compressa licentia tormentorum,
Explebant syluis,& cœso robore muros
Instaurant,faciemque nouam ostendere laborum.
Incurrunt Litavi pedites,ruptamque sub arcem
Vna omnes fecere pedem,similesque procellæ
Adsunt,

Adſunt,per ſcalas turres nituntur in ipſas,
Plurima perq; vices inter ſe vulnera miſcent,
Ac penitus ſummas arces evincere certant.
At fortes Moſchi, moles,quercusq; præuſtas,
Subjectosq; humeris lapides devolvere crebri
Incipiunt, bello dat ſignum buccina triſtis,
Et roboant peditum trepidantia tympana campis. *Tympanorum ſonitus.*
Cor mentemq; decus ſtimulat,pugna aſpera ſurgit,
Et magis ardeſcunt animis diſcordibus iræ,
Dant ſtrepitum flictu galeæ,miſcentur in ipſis
Funera liminibus,tum ſanguine fervere late
Aſpiceres,terramq; premi tot utrinq; cadentum
Agminibus : medio quo tunc ardente tumultu
(Non equidem magnos auſus, tuaq;,optime,facta, *Modrevii Centurionis egregij fortitudo*
Non mortem,nec te juvenis memorande ſilebo)
Modrevius cupidus laudem,nomenq; referre,
Eximiiq; ſimul juvenum MAVORtia corda,
Dant cuneum,& rapida ſub muros mole feruntur,
Multaq; Moſchorum demittunt corpora letho.
Quo nos,quò,juvenes,campo decet usq; teneri?
Ite per obſtantes adverſo pectore muros. *Contempſit omnes ille qui mortem prius Senec: in Herc: Oete.*
Modrevius primis ardens in millibus hoſtes
Enſe metit valido,crebros bellator acervos
Exſtruit,accenditq; viros ad MARtia facta.
Tandem Ductores Moſchi tot acerba videntes
Funera,conſertis denſantur viribus,uni,
Vni,odiisq; viro,& magnis clamoribus inſtant,
Vltima iamq; illi Parcæ fila ultima ducunt,

Vnum omnes gladiisq; petunt, unoq; morantur
MODREVIO: ſed non gladio vitam ille dediſſet,
Donec ab aerato peſtis delata chelydro,
Tranſiit antevolans: aſpirat pulvis eunti,
Cædes Modreuij,
Moxq; animæ latebras, allapſâ glande, reſolvit.
Vt flos auricomus fragrantibus altus in hortis,
Quem mulcent nitidi Soles, quemq; educat imber,
Defloreſcit humi, violento pollice meſſus:
Talis erat fortis MODREVI morientis imago,
Dum ruit, & dulcem poſuit ſub limine vitam:
Exanimem fidi comites in caſtra ferebant
Ductorem, flentes, heu, magno vulnere victum.
Clucouius ad Taurum ſtrenuè ſe geſſit,
Tum Mars CLVCOVIO, charũ ſub pectore robur
Addidit, & ſtimulos ingentes ſuſcitat armis.
Irruit, & quà tela volant denſiſsima fertur,
Non illum medias inter currentia turmas
Siſtere tela valent, & tot miſeranda virorum
Funera, ſed laudem per denſa pericula quærit.
Ilicet obruitur telis, & molibus altis,
Et licet arcebat ferrato tegmine nimbos,
Procubuit tandem foſsâ prolapſus in ima
Semianimis, tenui liber diſcrimine lethi.
Fama virtutis præmiũ,
Fortunati ambo, ſi præmia juſta ſuperſunt
Egregiis animis, & vos per ſecla ſecunda
Fama uehet, curruq; ſuo dignabitur ire.
Interea ad pictos adytus, delubraq; diuûm
Religio Moſchorum idololatrica.
Suppliciter mœſtæ matres, ceramq; ferentes
Ibant, ora Deûm Panchæo thure vaporant,

Orantes

Orantes pacem:musſant ignara juvandi
Numina,perq; Notos votum ſparſere procellæ.
Sed Volminſcus eques,manui prẹſectus equeſtri,
Æreus, eximiis juvenum comitatus,in hoſtem
Irruit,& clypeo fulgens ut fortimanus MARS.
Me duce,me juvenes,aquilam,RADivilia ſigna,
Ferte ſub hoſtiles muros,telisq; cavernas
Scrutemur,quem tota cohors imitata relictis
Ad terram deſcendit equis,glomerantq; ſub ipſo
Veſtibulo uſq; manus bellis,obſtantia vellunt
Robora,munitoq; effultas obice moles
Rumpunt,& Moſchos certantes irrita cuncta
Præcipites pellunt, ſumma & dominantur in arce.

Ioan: Volminſcii qui nunc eſt Palati: Smolenſc:fortitudo & equitũ eius.

Hic verò vaſto miſcentur mœnia luctu,
Et denſi captam Litavi infundnntur in arcem:
Illa dies victis Moſchis, extremaq; TAVRo
Lux fuit, & miſeris arx illa infeſta colonis
Vertitur ima ſolo,cuncta hoſticus abſtulit enſis.
En martis campos! en quò Diſcordia demens
CHRiſtiadas egit furiis? ut vota ſecundum
Barbara nos proprio tandem ſub Marte cadamus.

Cædes Moſchorum in arce à Radiuilo capta. anno 1561.

Sanguine Moſchorũ & Litavo ditabere poſthac,
O nimium rigidis agitata Livonia fatis:
Propter te fortes populi lacrymabile bellum
Experti: tibi SAVromatûm generoſa juventus
Oppetiit,tepidusq; cruor per vulnera manans
Imbuit egregios agros,camposq; nitentes.
Ad tua venerunt, potorq; Boryſthenis arma,

Livonia magni cõſtitit M. D. Lituaniæ Pomum Eridis.

 Vaſtator

Vaſtatorq; Scythes,& bellis aſpera virtus
Hunnorum, promptiq́; manu Chrononis alumni,
Quiq; fretum cernunt glaciali compede vinctum,
Quiq́; colunt Sveonū terram, Angermanica ſaxa:

Livonia ſanguine Lituano empta.

Te propter Litavus magnam pervertit opum vim,
Dum ſociis ardet depellere finibus hoſtis
Funeſtas acies,& ſe contra omnia vertit,
Prodigus ipſe ſui : fons hinc atque illa malorum

Litvania 30 & aliquot annos deſēdit Livoniā quod et ipſa agnoſcit.

Cauſſa fuit Litavis,incendia prima tumultus,
Hinc ſata luctifici cum Moſcho crimina belli,
Excitiq; animis in mutua funera reges.
Horrida tempeſtas utrinq; effuſa cucurrit,
Atq; recentatis caluerunt cædibus agri.
Vtq; mari magno cum velivolantibus Auſter
Navibus imbricitor,portis immiſsus apertis,
Confligit Boreæ,ventorumq́; omnia Ponto
Prælia concurrunt, nimbisq; nigrantibus omne
Eripitur cœlum,ruptis e nubibus ipſe
Fulminat omnipotens, & ſæua licentia Ponti
Perfurit,ac vexant ventorum examina puppes,
Ah pavidos nautas ſtrauit timor acris,& imus
Haurit corda pavor,mentemq́; expectorat omnē:
Intereà fertur pelago indignante carina
In ſcopulos,ventura feræ ludibria Scyllæ:
Non aliter poſtquam longinqui incendia belli
Orta,ſemelq; ferox MARtis conatus inarſit,

Belli effectus.

Auditæq; procul voces clangore tubarum,
Flagrat inextinctis gens tota furoribus,& jam
Direxère

Direxere acies, immiſsis fertur habenis,
In longumq́ diem Mars imbuit arma cruore.
Fas miſtum atq; nefas, euerſaq; ſæcula retrò
Et divinus honos, & cuncta humana referri,
Intereunt leges, & ruptis legibus adſunt,
Innumeræ ſcelerum facies, Luctusq;, Furorq;,
Et Dolus, & maleſuada Fames, & tetra Libido,
Et Conſanguineus Dolor ipſe Libidinis, omnes
Hos peperit bello comites Diſcordia prægnans.

Non ceßabitũ nobis gladio accinctũ leges prædicare. Vetꝰ dictũ: Miles nisi impius sit, parũ miles.

Et jam Moſchorum populos hæc didita Fama
Contigerat, cœſas acies, TAVrumq; canebat
Procubuiſse ſolo, Litavos exaggerat acres:
Teq; adeò RADIVILE ferens, tua fortia facta:
Exoritur mœſtus nemoroſa per avia luctus,
Pars gemit amiſsos patres, pars pignora chara
Plorat, & ereptos aliæ fleuere maritos:
Sed non clade ſuâ Moſchûm regnator acerbus
Ingemuit dirus PRinceps, interq; dolores,
Et populi lamenta, nefas quod præſtitit ipſe
Non doluit, lachrymasúe dedit, ſed turbidus irâ
Vindictam ſpirans, ſub pectore bella coquebat.

Moſchus nil dolet cladẽ ſuorum.

Ac velut vrſus atrox, homines, armentaq; paſtus,
Trux, niger, informis, ſylvarum antiquus alumnus,
Sole procul latitans inter ſpelæa profunda
Piniferi nemoris, tabum, ſemeſaq; tauri
Membra ſuper recubans, inventus forte moloſsis,
Tollit ſe luſtro egrediens, & inhorruit armos,
Atq; huc, atq; illuc oculis circumtulit ignes,

Iam

Iam rabiem meditans: vicinia tota rudentem
Horruit,& valles reſpondent: unde remiſsas
Ah pavidæ Nymphæ,& Satyri ſolvere choreas:
Sic ferus humano iampridem ſangvine paſtum
Prodigium,Ivanus,perceptâ clade ſuorum
Inſremuit,calidosq́; irarum concipit æſtus,
Nec iam ſe capit,& furiatâ mente redundat,
Terrarum vaſtator iners,atq́; ira ſupremi
Divipotis,tantum populos conſumere natus,
Peſtis acerba ſuis. Prò Iuppiter,ibit hic ergo
Impune?& noſtras Radivilus verterit arces?
Ille mihi Moſchos,aut me viciſse feretur.
Non iſthuc iſthac ibit: ſin: fulmine ad umbras
Mox adigar: nondum mea feſsa potentia Tauro
Subſedit: celerate meis de finibus, ite,
Ite viri,non parcetis mortalibus ullis
Non tectis,longos flammarum ſpargite tractus
Per Litavos: videã reſidens trans flumina Volgæ:
Illo quæretur generoſa Livonia pacto.
Nec mora,ductores Moſchorum iuſsa capeſsũt,
Moſchus Lituaniæ fines vaſtat. Diffundunt celeres paſsim lacrymabile bellum,
Riphæasq́; acies ducunt in Littava regna,
Arua Rubonicolûm, cultamq́; Boryſthenis oram
Infeſti peragant,fumant incendia campis,
Dombrouno arx Hleboviciorũ munita. Hic ubi Dombraunæ arx, Olgerdoniæq́; Vitebæ,
Deſpectant geminæ,lambentem ſaxa Vitebam,
Et campos ubi ſanguineum Cropienna colorem
Traxerat,ac Moſchis ager oſsibus albuit olim,
Orſam

Orsam præterea fluvio cognomine dictam,
Orsam semirutis cui pendent mœnia muris,
Et Chotcheuitium Sclouum, atq; Copissia tecta
Incendunt circum, pomœria victa feruntur
Vulcano populante, sed indefensa fauillæ
Rura domosque procul rapidas vexere sub auras.
Qui simul ut Litauûm rumor pervenit ad aures,
Iamdudum cupidi terras, camposq; levare
Invisæ gentis properabant milite: quonam
Vsq; super Litavos equitare licentius agros
O Radivile fines Moschos? sed in hoc mora nulla,
Finitimas validis stipatus millibus oras
Agmen agit celerans: vestigia cernit, at hostis
Copia nulla super: malefortia pectora furto
Bella operata, fugæ tutissima terga dedere,
Quà loca perpetuis horrent creberrima syluis.
Quid faciat? raptis quò rebus clariget orbe?
Vos tamen intereà justam mihi solvite pœnam
Barbaricæ terræ: vos turba dolenda coloni,
Marte petam simili: dictum probat exitus ingens
Audita è sylvis ignoti murmuris æra,
Arua repentinis equitum sonuère catervis,
More furentis aquæ, cum per sata læta, viasq;
Aggeribus ruptis torrenti exuberat unda,
Obstantesq; domos proturbat, & oppida sternit:
Fulserunt enses, trepidumq; hausere cruorem,
Horrificusq; fragor trepidas circumsonat arces.
Fumat opimus ager, colles clamore resultant,

Orsiza flu: in Borysth: illabitur.

Sylvæ ingẽtes Moschorum propugnaculum.

Radivilus vastat Smolensc. agrũ.

Lituani Velisiensem agrum populantur.

Moschi apparatus ad Bellum Poloticum.

Oka fluuius Mosc:

Oby flu: in Iugaria in mare glaciale influens: tanta latitudine vt tota die vix transeatur.

Excitasq; neces dives Smolenſcia deflet.
Intereà Litaui diuerſâ in parte Veliſi
Fœcundos populantur agros,hominesq; cruentãt.
Non mihi ſi centum linguæ,ſi ferrea vox ſit,
Innumeras clades Moſchorum evolvere poſſem,
Mars quibus armipotens illis deſæuiit oris.
At non propoſito,bellive averſus amore
Trux animus,placidâ nec pacem mente petiuit
Fœdifragus Princeps,ſuperi contemptor honoris.
Vindictam penitus ſpirat de pectore,plenus
Irarum: furor ipſe nefas,belloq; miniſtrat
Conſilium præceps. ingenti mole reſumit
Bella,ferox populis,& pollens viribus uſq;,
Exciit immenſas duris rumoribus urbes,
Et quaſcunq; tenet Moſchouia ninguida gentes.
Iamq; exercentur vaſtis incudibus enſes,
Arma novant,ſubiguntq; leues in cote ſagittas.
Martia jam ſonitu conſpirant cornua triſti.
Venit ab extremis habitator finibus Ocæ,
Et Tuerii, Permlq; viri,Branſcana juventus,
Quique colunt Solonan, & qui glacialibus Obym
Fluctibus infuſum,quo non eſt latior amnis,
Aſtrachani,Caſanesq; leves,Hungriq; remoti,
Vicini Perſis Sibyres,gens aſpera bello,
Propter Achęmenias urbes ſua rura colentes,
Atq; Aſiæ populi qui ſunt trans littora Volgæ,
Et Tanaim,Europam atq; Aſiam qui limite findit,
Conueniunt magno numero, namq; inde ducentis
Millibus

Millibus obſcuram glomerabant pulvere nubem, *Moſchorũ 200000.*
Æripedes equitum ſuper æquora lata catervæ. *Equitum.*
Inde manus peditum miſtæ ſola nuda replebant, *80000. pe-*
Poſcentes aciem, ſed millibus octoginta. *ditũ. 200.*
Fluctuat & tellus, & flumina pota dehiſcunt, *Tormenta.*
Subſeditq; gemens tormentis terra ducentis.
Quàm multa in ſylvis volitãt, cum decutit Auſtro
Acris hyems, folia: aut formicæ farra tumultu
Invaſere, niger populus, ſub ceſpite molli:
Quàm multi fluctus ſurgunt turbata per alta:
Tali ſe numero Moſchorum turba ferebat,
Excidium præſens tibi magne Polotte vehentes.
Vrbs antiqua, viris populoſa crepidine Dunæ *Polottus.*
Erigitur, tum colle nitet fundata vetuſto,
Arx olim Rußis, Litavis regnata deinde,
Diues opum, gazisq; potens, dum fata ſinebant.
Huic tum florenti Moſchus, dum fœdera fingit,
Improuiſus adeſt, & circumfuſa premebat
Mœnia, quà rapidusq; Rubon præterfluit, & quà
Roſida præcipiti decurrit valle Polotta,
Roboreumq; ſuæ vallum præcingitur arci.
Nec requies: Moſchus præceps ſine fine ruebat,
Incutiens bellum flammatâ mole, modisq;
Quos Mars cunctq; dabat ſolers belli atq; tumultus,
Alitibusq; globis urbs & concußa tremebant *Exuritur à*
Fundamenta, ruunt antiqui tecta Polotti. *Palatino Po*
Intereà lambunt properantia mœnia flammæ, *locenſi urbs*
Vrbs incenſa cadit, lateq; excanduit atris *Polottus.*

Ignibus, intus alunt ſtuppam querceta fauillis
Cõmutanda breui : nec enim fera flamma quieuit,
Donec collapſi cineres, arx ſola remanſit:
Quam rabidi magnis impugnant viribus hoſtes,
Saucia murali ferientes mœnia ferro,
Quod neq; nubiferis deductæ montibus orni,
Nec pinus ſyluæ ſoboles antiqua decentis,
Suſtentare queunt, nec mœnia dura refutant,
Objectu laterum nexo, ſed victa fatiſcunt.

At non idcirco Litavis per chara cucurrit
Oſsa tremor, neq; ſic ſternuntur corda pauore,
Pectoribus portas intercluſere patentes,
Quamuis nec pugnare pares, & ſpiſsa corona.

Hlebovicius fortiſsime defendit Polottum.

Non ego te tacitum juvenis fortiſsime mittam
Verſibus : ò Heleboviciæ lux unica gentis,
In Litavis ſydus, cuius clariſsima virtus
Et bello, & medio toties ſpectata Senatu,
Conſiliis ſanctis: invita fatebitur ipſa
Inuidia, & franget dentem ſi illidere tentet.
O vir, ò merito poſthac venturus in ora.
Ecce ruunt hoſtes, Parcamq;, necemq; ferentes,
Atq; aditu lato condenſi irrumpere certant,
Dumq; alii trepidant, dum terror & error ubiq;,
Pars reſerare iubent arcem, pars tendere contra :
Hic Deus omnipotens vires & laudis amorem
Subdidit, & ſtimulos HlebovicI corde ſubegit,
Emicat hic alacer: prò noſtrum dedecus ingens!
Quis metus ò ſocii? quidnam cunctatio ſignat?

Atq;

Atq; pavo. .quæue iſta repens vecordia ſurgit?
Quò vobis mentes, olim quæ ſtare ſolebant
Invictæ, pavido ſe convertere tumultu?
State viri, per vos & fortia facta parentum,
Per Ducis Auguſti nomen, per ſi quid honoris
Debetis patriæ, nunc oro oſtendite robur.
En quid inaudaces geritis tela irrita? quidúe
Signat eques Litauûm bellis inſigne vetuſtum?
Sed quę vos latebræ accipient? quò tendere vultis?
Sic ait, & ſocios dictis accendit ad arma.
Tum pariter clamore ruunt, cuneisq́; coactis
Agglomerant, ardentq́; mori pro mœnibus altis.
Acer Holubicius, Corſacorumq́; juventus,
Et Dorohoſtaidum PEtrus de gente, ſimulq́;
Nemirii fortes, nec non Dovoyna Polotti
Rector, & Heſmanni: comes his de gente Polona
Verchlinius, mortem cupidus pro laude paciſci,
Atque Polottiadæ reliqui, generoſa propago,
In medias mortes pro libertate ruebant,
Haud multi numero, ſed belli nodus, in omne
Quos feret eximios bona Fama volubilis æuum.

Nobiles qui erant in arce Polotti.

Conſeruére manus pugnæ, Moſchosq́; ſub ipſo
Confertos aditu, ſtrictis mucronibus urgent,
Miſsilibus denſis agitur penitusq́; regreſsum
Eripiunt acies ſtrictæ ſternitq́; virum vir.
Deniq́; præruptas moles cum turbine voluunt,
Quæ Moſchos late ſternunt: tum glandibus igni
Effuſis, & mortiferâ pepulere procella.

Vis conſilij expers mole ruit ſua.

Spumat ubiq; cruor Moſchus, pars dente momordit
Tormentis lacerata ſolum, pars enſe perempta,
Pars in præcipites foſsas, Dunæq; fluenta
Voluitur, & cumulis anguſtauere Polottam
Cœſorum juvenum: viſus traxiſse cruorem
Amnis, & abſorptas in Dunam ferre cateruas.
At Litavi, pulchrum læti Pæana canentes,
Ingeminant, poſt tot curas, Martisq; labores,
Ignari penitus quid ſera crepuſcula, vel quid
Poſtera lux oritura vehat de ſede Tonantis.
Quid tibi tunc animi fuit ò Ivane videnti
Funera? mactatasq; acies ſub mœnibus altis?
Defeſsasq; tuas vires, irriſaq; ſceptra?
Nunc nunc jam ſæuo gliſcit violentia Moſcho,
Ira, pudorq; ſubit, totoq; furentis ab ore
Scintillæ abſiſtunt, & ni reverentia proſit,
Iamdudum ſacrum fregiſset fuſte Nicolam.

D. Nicolaus quidam patronus Moſchorũ.

Siccine me patriis abductum deſeris oris
Proditor? ò pro me, pro Moſcha gente precator
Futilis! an potius vis res curare Latinas.
Idcircone tuis Panchæa adolemus acerris
Munera thuricremis, ceramq; liquamus, & ignem
Vrimus æternum, Regnis penetralia noſtris
Te numeroſa manent, feſtoq; à nomine Soles
Indicit nobis tua picta ante ora ſacerdos?
Diſce juvare tuos, & nos reverere viciſsim:
Vtq; erat iratus proceres ſic infit ad omnes
Voce Megiſtanes: O MOSCHI SEMPER inertes,

Et malè

Et maleſorte genus! quIs tantum copia fandi
Ventoſa in linguá, quoties pugnare neceſse,
At MARS in pedibus, fugitis me cuncta vidente!
Et paſsim caditis plebs immiſerabilis enſe.
At non in Bacchum ſegnes, cevereq; lumbis, *Moſchorũ mores.*
Cum lyra, vel reſonans induxit tibia ſaltus.
Vos (niſi morti eſtis damnati) aduertite mentẽ:
Viribus armorum haud datur expugnare Polottũ,
At feſsos lentá magis obſidione domate.
Nocte, dieq; ferant duros ſine fine labores,
Sæpe domat tempus, quos non violentia fregit.
Hic mihi vos fortes date, nunc eſt viribus uſus,
Huic aliud mercedis erit, qui fervidus urbis
Diſtulit excidium, breviter noſtra arma moratus.
At Radivilus opus magnũ ſub corde mouebat, *Radivilus obſidionem Polotti tentabat ſoluere.*
Clarorum felix operum, fomenta retentans
Curarum, ſeu SOL ſuprà, ſeu curreret infra.
Namq; videns pacis Moſchum promiſsa procellæ
Linquere, & inſolito turbatus pectora motu,
Quamvis denſa videt populis horrentia caſtra, *Nicol: Radiuilus Ioan: F. Dux in Olyka & Nieſwiez Pala: Viln: &c. patruelis Nic Radiu Georgiadæ pientiſſimus Princeps.*
Afflictis trepidat ſuccurrere civibus, acrem
Militiamq; parat: qualis raptoris in ora,
Caſpia fœta iacens armento tygris, ab antro
Exilit Hircano: ſic laudis adorea poſtquam
Et laudis ſtimulavit Amor, Radivilus in hoſtem
Fertur: at officium ſimul intendebat in arma,
Alter Nicoleos RADIVILI nominis heros,
Qui te, Vilna decens, rexit rumore ſecundo.

Cuius

Cuius apud Litavos hac tempestate vigebat
Inclyta relligio, monstris pia templa vetustis
Purgauit, purosque Dei promovit honores.
Ille etiam Rigam Litavis, gentique propinquæ
Consiliis iunxit te Dux Gottarde volentem,
At properata virum suscepit regia cœli,
Et jam perpetui miratur limen Olympi.
Sed fuit in fatis, excindi lata Polotti
Mœnia, non solitæ coeunt in bella cohortes,
Nec supplementum legionibus additur vllum,
Et frustra tua cura fuit Radivile volentis,
Prædabunda tamen non secius agmina ferro
Compescis, lateque struis bellator acervos:
Castra metu rapido, tutas aciesque fatigas?
Pellere non æquis connitens viribus hostem,
Ipse Deus Moschos in prælia concitat acres.

Moschus Polottensi præsidio nullā requiem cō-cedit.

Ex illo semper muros circumsonat hostis,
Nulla datur requies belli, non ulla laborum
Hora caret, nunc horrendis insultibus instant,
Nunc tormenta boant, gemit arx, omnesq; labore
Deficiunt, nec tot molles sufferre potestas.
Nulla mali finis, nec cum lux alma resurgit,
Phœbus Atlantæo flagrans de gurgite, nec cum
Sol ruit, atque diei nox intempesta laborem
Porrigit, avertunt somnos de corde pericla.
Sexaginta illos perhibent noctesq;, diesque,
Armisonas acies, cunctosq; tulisse furores.

Incenditur arx Polotti.

Hæc ubi frustra hostes cernunt, incendia latè
Turribus

Turribus injiciunt, tedis fumantibus acta.
Ilicet arx immiſso æſtu comprenſa reluxit.
Nec prohibere licet flammas, aut fundere lymphas
Mœnia adeſa ſuper: nam quà denſiſsimus vndam
Fumus agit, quæ Vulcano pars æſtuat, illuc
Inſanùm tormenta furunt, lethumq́ minantur.
At medias inter ſtrages Holubicius ingens *Holubicius fortiſsimus Centurio.*
Exultat, fidens animi, ac corpore ſudans,
Fundebat rabidis necquicquam flumina flammis.
Olli mors infenſa caput circumvolat alis
Impia, dumq́ mares animos in Martia bella
Fervidus exacuit, ſolus magni agminis inſtar,
Fortia voce monens opponere pectora rebus.
Ecce globus ferri tormento miſsus in arcem
Mœnia dilacerat: tum perfida diſsiluère
Robora, fragmentumq́ tulit vis magna trabale,
Te letho ſolum quærens, te magne Holubici.
Namq́ tibi duro transfixit turbine pectus *Occiditur Holubicius.*
Fragmen, & exitium præſens immiſit adactum,
Confundens juvenile caput, ſparſumq́ cerebrum.
Occidis armatæ quem non potuère phalanges
Sternere, Moſchigenæ lectiſsima robora pubis,
Sanguineosq́ vomis rivos de pectore toto.
Ah infelici moriens ſe in pulvere verſat,
Dignus cui plures annos rata vita maneret,
Indole digna viri: tamen eſt poſt fata ſuperſtes:
Felix, o nimium felix, qui morte ruinam
Anticipas patriæ, quamvis nec lumina mater

Clausit, at urbe jaces ingenti membra sepultus.
Te nemorum Nymphæ, vitreiq; fluenta Rubonis,
Te liquidi raucis amnes fleuere querelis.
Consurgunt gemitu comites, & pectora palmis
Planxerunt, gemuit tota arx concussa tumultu,
Et quamvis Helebovicius defendere suadet,
Dum spes ulla subest, dum sunt in corpore vires,
Verchliniusq; mori vellet pro limine primo:
Deficit ingenti princeps Dovoyna timore,
Antistesq; simul: sed enim Mavorte secundo
Ingruit Ivanus, nec respirare sinebat,
Nocte dieq; ferox, & portas pandere cogit.

Dovoyna & Episcopus Urbis Græca Fide, arcem dediderunt.

Tum verò exoritur Dunæ per littora fletus
Linquentum patrios fines, dulcesq; penates.
Ducuntur primi proceres, equitesq; Polotto,
Et miseri cives, bis denis millibus agmen
Servitio trahitur: gazæ rapiuntur avitæ
Occultumq; aurum, facta atq; infecta talenta,
Cum Dominis pariter Moschas portantur in oras.
Atq; illos Helebovicius fortissimus inter,
Os, humerosq; decens, multis è millibus extans
Ducitur, evinctas arcebant vincula palmas.
Iamq; propinquabat terris hostilibus, almos
In patriæ referens ardentia lumina fines,
Talibus ingemuit: iam iam salvete penates,
(Quis scit an ęternũ) Litavi: neq; enim reor unquã
Perfidiæ reus esse volam, sacra numina testor.
Non me pro dulci patriã, non terruit hostis,

IOANNes Hlebouicius captus in urbe Moschouiam abducitur.

Libauitq;e

Libavitúe & Fidem, nec me pellacia Moſchi
Præcipitem vertit, nunc, heu, toleranda tyranni
Tædia miſta minis ò crudeliſsime Regum,
Meńe Polottiacis pugnantem occumbere campis
Non potuiſse, tuisq; animam hanc amittere telis?
Turbine ſtratus ubi moriens Holubicius ingens
Occubuit, galæq; virûm per lævia murmur
Saxa cient, & clara iacent ſpectacula Martis
Indomiti, & natis fleti cecidere parentes.
Non ego nunc Moſchi faſtus, atq; ora viderem
Læta parum, non facta trucis præfanda tyranni.
Talia voce refert, oculos tellure paternâ
Nuſquam dimittens, donec nemora ardua ſylvis
Proſpectu erepto fines texere paternos.
MOSCHE, quid exultas? quæ te tam læta ruiná
Præcipitat fortuna? nec illa impune fauore
Arriſit Dea vana tibi, ſed culmine ſummo
Vt traheret, ſimiliq; manu quem ſuſtulit auſert.
Tuńe ſacram violaſse Fidem lætabere ſemper
Impie? tempus erit quando quæ temnis, auebis
Illibata tibi donari fœdera pacis,
Et magno redimes captiui buſta Polotti.
EN NOVA progenies cœlo manare profundo
Incipiet Chriſoſtephanos Magnusq; Bathorheus.
Iamq; alii Soles, & ſecli naſcitur ordo
Aureus, & priſcum mos omnis abibit in aurum,
Protinus atq; dies oſtendent fata benignos.
Qui ſimul ac Litauûm regnandum acceperit orbē,

Fortunæ vitrea eſt. tum cum ſplēdet frangitur.

Stephanus Bathorheus Fatalis Moſchuici Belli Dux.

Siſtet res lapſas, ſpoliis inſignis ab hoſte,
Reſtituet captas vrbes, Diumq́ꝫ Polottum,
Sarmatiamq́ꝫ tuâ victor formidine ſolvet.
Interea largas Radivilo ſanguine pœnas
Perſolves, tecumq́ꝫ dabit Moſchovia luctus.

Ivanum Sathanas in bellũ incitat & deſcriptio Sathanæ Poëtica.

AT fera Dirarum nigris fœcunda venenis
Alecto, nunquam ceſſans, ſegnisúe malorum,
Egelidæ monſtrum Stygis, umbrarumq́ꝫ potentis
Dira canis, ſcelerum venatrix pollet odore,
Hæc apprime nefas, & noxia bella, dolosq́ꝫ
Callet, & innumeris fœdiſsima pullulat hydris,
Gorgoneisq́ꝫ caput vallat torquata colubris.
Tota Acherontine Stygiâ pulligine ſqualens,
Sed potis omnigenâ miracula ludere formâ,
Mille adjtus ſcelerum, millena piacula nouit,
Mille mali ſtimulos, & fulguris ocyor alis,
Nare per alta poteſt, odium ſuperûmq́ꝫ, hominũq́ꝫ.
Atq́ꝫ ea tum linquens nigri ſpiracula Regis,
Illunes tractus, & Solis inania regna,
Spinturnix veluti cita, vel prærupta procella,
Labitur in terras, & tempus nacta nocendi,
Criminibus mentes hominum, & verſare venenis,
Aëra per liquidum, nemorenſia rura ſuperne
Deſpectans, Moſchas præceps enauit ad Arctos,
Et ſummo Kitai ſtridens in culmine ſedit,
Ter pavidas arces circumvolitavit, & alta
Tecta magiſteriis auis importuna venenat.

Exin Moſchorum in penetralia celſa tyranni
Intrat,

Intrat,& Ivano quem tum ſuper horrida bella
Pectore fixa graui iamdudum cura premebat,
Vipereis unum vibrat de crinibus anguem
In medium pectus,ſerpens per membra volutus
Fit torquis rutilans,quem Vlodimirus ab hoſte
Detraxit ſpolium: primos hoc tollere faſces
Omen habēt Moſchi Reges,hoc ſceptra capeſsunt.
Tartareum inſpirans ſenſum,mentemq́ pererrans.
Accendit facibus,furiatq́ nocentibus omnem
Conſiliis animum,quò bellum poſcat,ametq́,
Stringatur ferrum,multos eat ira per annos,
Exercere velint odiis genus omne,doliſq́,
Arma fremant,armis concurrant protinus arma,
Principis armetur manus in civeſq́,ſuoſq́,
Armenturq́ manus in gnati fata parentis,
Aſsiduá caleant de cæde cruore penates,
Mille viis ſcelerum certetur,nec modus adſit.
Talibus inſpirat monitis,acuitq́ furores
Dira, ſitim belli totis molita medullis.
Olli mox præceps inſania Martis inarſit,
Bella ferox,mera bella,ſonat,miſcetq́ penates,
Luctificam exſomnis pugnam,ſtrageſq́ requirit,
Turbidus,arma ſuper:vultum ferus,aſper,anhelans
Sanguineam torquens aciem, mora ſuſcitat iras.
Vtq́ ferox Vmber,quem turba Diania fortem
Miratur, ſtabuli ſcrutatus odoribus hoſtem,
Aut procul eduro firmantem robore coſtas
Vidit aprum,quamuis loro,nodiſq́ tenetur,

Torquis Vlodimiri Monōachi, quē Græco provocanti detraxit, duello cōgreſſus

Ivanus filiū natu maiorē occidit.

 Nititur,

Nititur,ac totá pugnat cervice morantem
Antevolans Dominum, micat auribus,atq; reclusis
Dentibus,ac tenues morsu convulnerat auras,
Eripuit tandem sese,ferturq; patenti
Extensus campo,tum syluas personat ore,
Et centumgeminis complet latratibus agros:
Haud aliter Moschus princeps in bella ruebat,
Sævus,acerba tuens,furiis ingentibus actus,
Infelix exul mentis, qui stulta pararet
Funera Sarmatiæ forti, Litavoq; ruinam.
Quamvis ingentem cladem vitare monebant
Terribiles rerum formæ,signisq; frequentans
Primipotens genitor,cœlo,terrisq; canebat.
Hic tamen invito bellum vel numine anhelat,
Dedecorum plenus Rex,pestis acerba suorum.
Nec multum resides populos rumoribus acres
Exciuit,stupet insanis fulgoribus illic
Armipotens acies,hoc tendunt agmine turmæ
Lethifero,peditum, spargentes turbine plumbum.
Hac properat brevibus pubes armata sarissis,
Hac numerosa manus, velites, habilesq; pharetras
Succincti,campis vestigia flammea miscent.
Parte aliá clypeata cohors ardentibus hastis.
Incendunt agros equites, ac pulvere nubem.
Qualis equûm MEDVS grex formosissimus,herbis
Pascitur Hippoboton,ubi millia quinquaginta
Caucasias implent crebris hinnitibus oras:
Tale fuit densis Moschûm legionibus agmen,

Cuius fortũnam Deus mutat, consilia corrũpit.

Duos ingentes exercitus in Lituaniam Moschus mittit anno 1564.

Vt

Vt varium linguis,ita verſicoloribus armis.
Inde bipartitò in Litavos converſa tulere
Signa,Serebrinus Cropiennæ littus ad Orſam
Obſedit,Mahometicolæ ſocia arma,viroſq́ꝫ
Iunxerunt Caſanes, forti ductante Murato.
Parte aliá triginta equitum,peditumq́ꝫ Polotto
Millia ducebat ſub Evanſcia Soyſcius arva,
Soyſcius illuſtri ferrugine clarus, & auro
Intertexta gerens,& claris arma mæandris.
At non Lituanæ defendere cuſpidis ictum
Sic valuit,quando fuit irrevocabilis hora.

Præfecti exercituum Moſchouiticorum. Serebrinus & Petrus Soyſcius.

Protinus ignotæ facies,vexilla tremenda
Fulſerunt,Xerampelino uibrantia fuco,
Sanguineo lugubre rubent,Xanthoq́ꝫ colore,
Sarranoq́ꝫ nitent,latis ſpectacula campis:
Sic circumfuſis Moſchûm gens invia ſylvis,
In Litauûm terras peſtem,flammaſq́ꝫ ferebat.
Quæ bonus aſpiciẽs Radivilus, & horrida bella
Surgere,terroremq́ꝫ dari,flammaſq́ꝫ per agros,
Indoluit caſu patriæ concuſsus acerbo.
Nocte,dieq́ꝫ animum nunc huc nunc dividit illuc,
Et nunquam anxiferas curas requiete relaxat.
Conveniunt pauci proceres, quid publica poſcant
Commoda dicturi : quibus hæc Radivilius heros:
Quò res ſumma loco, vobis manifeſtius ipſis
Quos ferus inſequitur princeps crudelibus armis.
Bellum atrox cives dira cum gente gerendum,
Queis neq́ꝫ ius neq́ꝫ religio,neq́ꝫ fœdera curæ

Radivilus in Moſchos tendit.

Sed

Sed fera vis hominumq; cruor, miſereſcite veſtri,
Neu dulcem patriam, natosq; ad funera Moſcho
Prodite, ſed Maieſtatem defendite magnæ
Littaviæ, per ego has lacrymas, patriamq; cadentē
Oro, maturate nefas avertere tantum.
Aſsenſere omnes, & quid facundia poſset
Tum patuit: veniunt bello ſpectata juventus
Et famuli Martis, numero PAuciq;, boniq;,
Sed conferre manum, & ferro decernere prompti,
Flos Litauûm, roburq; virûm: ſonuere tremenda
Claſsica, conſpirant juvenes, Martemq; fatigant
Indomitum, dolor ipſe viros incendit in hoſtem.
Arma novant, recoquuntq; patrum iam deſita tela,
Hic arcum rapit oſtentans artemq;, decusq;,
Pars clypeos terget, veteri rubigine ferrum
Exuit, ac criſtis galeas ornare comantes
Invigilant, accuuntque leves in cote ſagittas,
Viſceribusque trahūt graveolentia nitra ſyphonū.
Arte laboratas, electreoq; rigentes
Robore loricas poliunt, ſolidantque refracta.
Illi quadrupedem qui curſu provocet auras,
Ardua colla ferat, volvat ſub naribus ignem,
Inſtituunt, lituosque pati, pedibusque ſonare,
Et propere injiciunt in equos ſua corpora ſaltu,
Caſtigantque moras avidi: nec tempus agendi
Suppeditat, raucus ſędenim canor, atq; tubarum
Ingeminant fracti ſonitus, ſimul ipſa vocat res.
Tum verò celerant iter ad prætoria celſa,

In Radivilo providentia ad auxiliū patriæ.

Lituanorum exiguus, ſed fortis in Moſchos exercitus Anno 1564.

Concurſus

Concursusq; virûm, fremitusq; ardeſcit equorum.
Condenſæ veniunt acies, exercitus acer, *Polonorum & Lituanorum copiæ ornatiſſimæ ſunt.*
Dives equis, dives turmis florentibus auro,
Compellant alacres Radivilum vocibus iſtis:
Maxime Littaviæ ductor, quo ſoſpite nobis
Nil deſperandum, præſtans tutela tuorum,
Te Duce Luciferum nos, Auroramq; ſequemur *Auctoritas Radivili*
Tellurisue feros juvenes ſine lege Deoq;,
Te Duce perfuſas Mauro ſale, Marte petemus,
Afrorum terras, Dacosq; erepta bilingues
Signa repoſcemus, duc, quo nos cunq; placebit,
Quem Belli Fortuna ſuis circumvolat alis. *Fortuna & felicitas Radivili.*
Nam te non alius Martis tenet aptius artes.
Hinc tua te penna ſolvi metuente ſuperſtes
Fama feret, dabit æternos ſacra laurus honores. *Scientia rei militaris.*
Præcipe ſigna citus ferri, ſimul utere promptis.
Et nos ad laudes Virtutis tramite duro,
Graſsari cupimus, per tela inimica, per ignes.

RADIVILIAS TERTIA.

NVNC OPVS, & ſtudiũ, magno nunc ore ſonandum,
Si quid Hyanthæi latices, & In Aones almæ,
Rupibus amſanctis in carmina juris habetis:
Tuq; chori Princeps, Augur Delphusie, tuq;

O Argentipedum multiſcia Dia Dearum
Calliope, tum quicquid adhuc in montibus illis
Relligionis ineſt: mea nunc precor orſa referte
Magna ſonaturi, forteſq; evolvite mecum
Lituoidas, quibus illa viris tum floruit ora,
Qui lecti heroes in prælia ſæua ruebant.
Dicite nunc Muſæ Cyrrhea theatra colentes,
Namq; virum in viridi laudes Adamante notatis.

Catalogus optimatū & ductorum, qui ad Ivanſcium prælium venerāt.

Principio Chodchevicio de ſanguine creti
Magnanimi Fratres, famā & præſtantibus armis
Inſignes, ambo patriæ par ornamentum,
Spes geminæ Litauûm, magnæ duo lumina gentis,
Agmen agunt late fulgens horrentibus haſtis,
Atq; acie denſos, ipſi magni agminis inſtar:
Ceu duo Nubigenæ quando Rhetusq;, Pholusq;,
Monte ruunt, dat ſylua locum, ſaliceſq; procūbunt.
Gregorius turmas acies præcedere ſuetus,
Primus in adverſas hoſtis ſe ferre cohortes,
Eximium robur ſpirans, hic fortia bello
Pectora fulmineos juvenes rapit: alter in hoſtem,

Ioann: Chodkiewicz Comes in myß & sklow Caſtellanus Vilnen: peditatū Lit: rexit.

Ioannes animo exultans, & prælia poſcens,
Iamdudum juvenes florentes ære ciebat.
Aſt illi ex humeris pardorum terga retorquent:
Et tormenta ſimul rexit, peditumq; phalangem,
Quis Lacedæmonio tunicæ de more rubeſcunt,
Falcatos enſes, plumboq; gravata gerebant
Inſtrumenta necis, mors unde volatilis exit:

Sclopeta.

Oborski.

Hos tum Ioannes rexit, ſed Oborſcius illi

Legatus

Legatus variis inſtigat vocibus alas.
Poſt illos ingens animis,& maximus acri,
Zenoides bello,nitidis fulgebat in armis, *Georg: Zenouicius Caſtell: Smolenſcenſis.*
Æreus, immanem quaſſabat fervidus haſtam,
Armatos ductans juvenes,contisq; ſcienter
Vtentes,agmen præſtans inſignibus armis.
Flos Martis rapidi ſequitur Volminſciusacer, *Ioann: Volminski Palat: Smolen:*
Haſtatos equites regit,æratamq; catervam,
Eximius belli Ductor,ſolersq; laborum.
Nec mihi Sanguſco præſtans indictus abibis, *Dux Sangusko.*
In reliquis virtute pari, ſed diſpare ferro,
Moſchorum terror,debellatorq; Scytharum,
Cui genus á primis Litaûum Ductoribus, atq;
Gedimine venis priſco, clarusq; vetuſtas
Marte refers proauûm laudes,accerrimus armis
Forte pharetrati populi rapis agmen: at illi
Carbaſeum de more ſuo velamen habebant,
Fidentes arcu lento, volucriq; ſagitta,
Vollinia lecti juvenes de gente virorum.
Nec veteri Litauum de ſtirpe Georgius armis *Georg Hoſcik Palat: Mſciſlauienſis.*
Defuit Hoſticus: nec dux Coreccius alto
Lætus equo: aſt illi ſonat auro intexta pharetra.
Hinc Solomericio Bogdanus ſanguine cretus, *Bogdanus Dux Solomeruki.*
Hoſtibus haud tergo,ſed pectore notus,& armis,
Fertur equo glomerans,& flammea crura reponit.
Te quoq; Caſnicii campi videre Sapicha *Nicolaus Sapicha.*
Nicoleos,alas equitum rexiſſe feroces,
Pulvereamq; ſolo nubem,Martemq; cientem.

Philo Kmi-ta peritissimus rei militaris.

Et tu Cmita Philo, quem parvũ maxima virtus
Amplificat, solers belli, Martisq; laborum
Igneus involitas magno æquore, quem levis ala
Insequitur velitum, certis metuenda sagittis.

Bacæ fratres.

Ecce Bacæ validi transuersis casside cristis,
Direxere acies, acuuntq; in bella cohortes.

Georgius Tiskeuitz.

Te quoq; sangvineo bello præclare GEorgi,
Te Tischeviti iungit tuus ardor, equestres
Ducentem turmas, insignem fortibus ausis.

Borcolabus

Ibat & ingentes Moschûm straturus acervos
Sanguine Corsacio descendens Borcollabus,
Cuius olorinæ surgunt in vertice pennæ,
Vincere siue mori præsens, in utrumq; paratus.

Sucikowski

Agmina Sueicouius celerans extrema coërcet
Expertâ belli juvenum comitante catervá,

Cozicy.

Quls sonat ex humeris corytus, & horrifer arcus
Mascula vis, qui te DOMINVM RADIVILE canebant.

Nicol: Radivilus Imperator Exercitus.

Hos INTER medius RADIVILVS vertitur, ipse,
Qui belli summæ præerat, sine fine fatigans
Consiliis animum, licet experientia Martis
Adjuuet, eventusq; Deus mentemq; secundet:
Illum Thrax pullus generoso de grege portat
Arduus, & pugnat frænis, aurumq; remordet:
Ingreditur, Fortuna virum circumvolat ingens.
Sed galea ornatus capitis flagrabat, & acre

Descriptio clypei Radiuilonii.

Solis inardescit radiis obversus ad astra.
At lævem clypeum series longissima rerum
Auro insignibat, fulvo distincta metallo.

Illic

Illic res Litavas, antiquorumq; triumphos
Cernere erat: veluti per Balthica dorsa, LIBONIS
Contigit ambifluæ Plotellæ clasſis arenam,

Lituani à P. Libore Italo quem Palæmonem alij vocant, originem indubitatam trabunt.

Non ſine mente Dei, terras advecta recentes:
Vtq; Libo multum terra jactatus, & alto,
Allapſus ripis, ubi tum ſtabula alta ferarum
Horrebant, velutiq; ITALÛM manus emicat, atq;
Sternit humi cervos, vrosq; ſerosq; biſontes,
Ædificantq; NOVAM ROMAM, ſub culta Dubiſsæ
Oſtia cæruleæ, veteris ſolatia ROMæ.

Nova Roma in Samogitiæ & Lituaniæ finibus ædificatur ab hoſpitibus Italis, nunc Nowromo.

Hæc penes aſtabant reges ex ordine ſancti
Inſignes lituo, atq; ardentia ſceptra tenentes.
Quos inter bis ſex radiis clarabat in alto
Vertice MINDOCVS, Latium Diadema gerebat
Rex Litavûm: geminasq; tremenda tributa ſagittas
Fortem ERDIVILLVM Scythico miſiſſe tyranno:
Nec procul aſpiceres trūcatos mēbra Scytharū

Mindocus à Pont: Rom Rex Lituaniæ creatus.

Legatos, hæc SCIRMVNTUS reſponſa remiſit
Sæva Balaclaio: ſubito hinc conſurgere bellum,
Et Koydanovios rubefactos ſanguine ſaltus.
Et rapidum VITENEM, Leſconis Marte revictū,
Victoremq; iterum, & proſtratos Marte Polonos:
At Litavus miles captos immitis agebat

Anno 1293 ad Sochacoviam.

Viginti juvenes ſortitò quisq; Polonos.
Hìc choreæ, cantusq; vigent, Ledamq; ciebant
Victores, & Iò lætos Iò hiare putares.
Antyge in extrema colles, ululataq; montis
Summa lupo, ærataq; lupum compage nitentem

 Expoliit,

Expoliit, cupiens ſpiranti effingere ſigno
Docta manus, ſed centenis fera vaſta remugit
Ventre lupis: claram hinc urbem Liſdeycius augur
Portendit: quanto conſurgit ab omine Vilna
Omnigeni nutrix populi! quam maxima Vilna
Opprobrio quondam fuit, & magaria, nunc jam
Vrbibus æquauit Lituana potentia magnis.
Ducitur ad thalamos pulcherrima Lituanine

Primordiũ & q. omen vnionis Polonorum & Litu.

Aldonis Caſimire tuos: hanc Littava pubes,
Flos veterum, roburq́ʒ virûm, metuenda ſagittis,
Ex humeris tegmen torquens immane biſontis
Terribili ravum ſetâ, atq́ʒ Polottidis urſæ,
Dotalesq́ʒ ſimul ducebant agmine dènſo

Dos Lituanæ Ducißæ 20000. captiu. Polonorum à Litu: manumiſſorum.

Lecchiadæ, horrentes intonſis crinibus, atq́ʒ
Iam læti, iam cum pileo, vinclisq́ʒ carentes.
Iamq́ʒ duas gentes, paribus ſine fine regendas
Auſpiciis, adamas fatorum lege tenebat.
Hinc pacem æternam pactis florere hymeneis,
Cernere erat, totâ ſuperi quod mente petebant.
Sint Litavi, atq́ʒ decus, pro majeſtate, perenne,
Atq́ʒ Dvcis MAGNI vigeat per ſæcula nomen,
Vnanimes regem populi venerentur eundem,
Vnanimes pugnent, & eant ſuper æthera famâ.
Hic Brandburgiacos vaſtabat milite campos,
Dux Gedimines: en denſa volumina fumi.
Hic domuit Pruſsos acres, Hordasq́ʒ Scytharum
Trans Tanaim victor perfecta cœde fugauit.

Lituanicbellum inferũt Ludo-

Et quàm per Litavos ſæuis effuſa Boruſsis
Tempeſtas

Tempeſtas jerit campos, Duſumerus vt audax,
Pruſsiam, & ad bellum traxit, Regemq; Bohemũ,
Pannoniumq; ſimul, nam frons radiabat utriq́;,
Et Moravos, Danosq; truces, Gallosq́;, Britãnosq́;,
(Aurea cæſaries ollis) Germania bellum
Tota movet Litavæ genti, Rhenusq; tricornis
Conſpirat: ſed quos non poſsunt viribus, aſtu
Olgerdus cum Keyſtuto fregere, fameq́;
Vaſta relinquentes late loca cuncta, viciſsim
In cinerem redigunt Pruſsos, arcesq́ue Livonas.
Hos indignantum ſimiles, ſimilesque furentum
Aſpiceres, quoties infandæ ſtragis acervos
Deflerent: demens: tua ſunt hæc damna Magiſter.
Parte aliâ Moſcho vivas in fomite flammas
Olgerdus mittebat: adhuc fumare putares:
Is celerans urbi Moſquæ imminet, atq́ue jacenti
Dicebat Moſcho: QVIS MATVTINVS AD ARMA
SVRGIT? PARCE MINIS: ſimul haſtam illiſit ad arcẽ.
Ecce Iagello potens, & libertatis alumni
Sauromatæ, Litaviq́ue viri, Germana refringunt
Agmina, telorum denſiſsimus imber inundat.
Cum ſubitò, aut hoſtes ingloria terga dedere,
Sauromatumúe manu validá cecidere perempti.
Sanguine Grinualdum natat: ipſe Magiſter arená
Vitam exhalabat, jacuitq́ue exangue cadaver.
Hinc Tamerlanas acies incurrit ouantes
Vittoudus: ſatis eſt auſum concurrere laudi.
Ecce nitent vario convivia longa paratu
Luciciis

Ludouicus Rex Hungariæ, Ioans Bohemiæ: Carolus Morauiæ Marchio qui poſt Imperator Carolus 4. dictus Dux Saxoniæ, Dux Pomerã: Marchio Brandebur: Gallica & Anglica auxilia: nam Põtifex in bellũ ſacrũ Bullis et cruciatis omnes conciuerat.

Olgerdus et Keyſtutus Lituaniã vaſtã reddunt & hoſpites nouos fame conficiunt.

Anno 1331. 50000 Germanorũ cæſa.

Conuiuium Vitoldi Lucicæ

Luciciis campis, ubi Cæsar, tresq; superbi
Reges, & Moschus princeps, amboq; Magistri,
Totq; Duces epulas celebrant, convivia læta.
Adventusq; virum fremit, & concentibus auræ
Mulcentur (nequeunt expleri lumina visu)
Cœde tepebat humus semper pecudum atq; ferarū
Et passim populi diversæ gentis inerrant.
Hic quoq; belligerā manus informaverat Holhā,
Passeribus tribus arcem debellasse potentem,
Et Svantoslavum, qui nunc prostrarat Achivos
(Heu casus!) Litavi dextra cecidisse CVRETIS,
E capite absciso carchesia pocula fecit
Hostis, & inscripsit: QVAERENS ALIENA PERISTI.
Ecce Zavichostum densus de fustibus imber
Complebat, clypeumq; incendit flamma nitentem.
Hæc inter vix iam fluctus Cropienna trahebat,
Funeribus gentis Moschæ gravis: inde triumpho,
Compedibus vincti proceresq;, Ducesq; trahūtur.
Qualis inardescit radiis cum Lucifer, ante
Quàm croceum spargat lumen rota fervida Solis,
Atq; renidenti colles illuminat ore,
Convestitq; suo terrarum anfracta nitore.
Tali se claro Radivilus tegmine clepit.
† HVIC ABRAMOVICIVS fidissimus ibat Achates,
Perpetuò affixus lateri, variosq; ferebant
Sermones, hunc ipse sibi Radivilus amicum
Delegit, pacisq; bonæ, belliq; ministrum:
Ipse viri poterat mentem, consultaq; nosse,

Iuxta

cicæ Volini. orum 7. hebdomadum, quotidie 700. boves, agni 1400. 300. bisontes, totidem cervi, alces, apri &c. occidebantur: & quotidie 1400. vasa medonis, Et vini cuiusq; generis 100. cupæ absumebantur.

Ad Cropiwnam fluu: 80000 Moschorū partim cæsa partim fugata. Anno 1514.

† Ioan: Abramowicz, Capitaneus Liden: &c. Præses Dorpatensis: Nicol Radiuili Intimus & particeps consiliorum.

Iuxta Stabrovius nulli virtute ſecundus,
Poneciusq́;ſimul juvenum Mauortia pubes.
Ibant per ſylvas,quà proxima meta viarum,
Compoſiti in turmas,Radivilia ſigna ferentes,
Expanſas Aquilæ pennas:hanc lumine ſævo,
Vngue feram,infeſtam Moſchis properare putares.
Tum pulſu concuſsa pedum ſonat undiq́; tellus,
Inarime veluti gemuit pulſata tremendis
Fulminibus, pater altitonans cum nixus Olympo,
Spargit in horrendi ſua tela cubile Typhôei.
At virides Nymphæ blandiſsima numina ſylvis
Hinc atq́; hinc pariter glomerantur, & invia divæ,
Luſtra Ruboneides peragrant,tum fulgida ſigna
Flagrantesq́; virûm vultus nimis admirantur.
Miratur nemus inſvetum,ripæq́; ſilentes,
Quàm ſeſe ore ferant, quã pulchro lumine & ore.
Inſanæ juvenes ſpectant,ardentq́; tuendo,
Prorſus in hoſpitibus tam lætis ſuſpirantes.
Præcipue Dryadasq́;, & Oreadas abſtulit omnes,
Tanquam ſola foret Radivili fortis imago.
Omne nemus ferro,& nitidis haſtilibus horret,
Sole laceſsitus ſplendor diverberat auras.
Cum ſubitum,augurioq́; omen mirabile corda
Addidit,& melius rebus confidere iuſsit,
Namq́; per ingentes ſylvas exercitus omnis
Dum ruit, ecce manus vinctum poſt terga trahebãt
Exploratorem,juvenes,de ſanguine Moſcho:
Quem ſimul ac ſonipes Radivili vidit,in altum

Aquila nigra inſigne Principum Radivilorum.

Omen. Equus Radivili exploratorem Moſchum dentibus arripuit.

k Emicat

Emicat, arrectisque fremens cervicibus, illum
Arripuit morsu, liquidasque inimica per auras
Membra jacit, velutique pilam jaculatus inanem.
At Litaui sacrum læti Pæana canebant
Formosis similes cygnis ad rura Caystri,
Multaque porriciunt in cœlum vota tonanti:
Annueret, sineretque manus prædonis arenâ
Sternere Casniciâ, justasque reposcere pœnas
Pollutæ pacis, tum bella secunda redonet,
Mox pugnæ curant & equos, & corpora duræ.
Vertitur interea cœlum, densasque vehebant
Noctis equi tenebras, & decedentia certis
Tempora momentis fessum Phaëtonta lavabant
Marmore Atlantæo: Phœbe nocturna nitebat
Evictis radians nimbis, lateque trahebant
Sollicitæ gentes jucunda oblivia vitæ,
Et pictæ volucres, & gens Neptunia pisces:
Te quoque curarum dulci fomenta sopore
Perfundunt, seramque dabas per membra quietam,
Somnium Nicolai Radivili. Sub Iove nymboso RADIVILE, & tegmine cœli,
Quamvis sæpe leves ruperunt classica somnos:
Cum facies Kestutiadæ sine corpore vita,
Elisiis visa est campis delapsa Vitoudi,
Qualis erat quando Grinvaldo victor, onustus
Almannis spoliis, Litavas veniebat in oras:
Cum subitò tales Radivilo effundere voces:
Sedibus Elisiis fortuna indigna meorum
Excit, ac Litauæ movit me injuria gentis:
Sensimus

Senſimus hæc dudum, ſed facta an ficta putarem
Haud ſcivi, damnis contraria fata rependens,
Quæ ſine fine meis, ſine metá & tempore ſceptra
Annuerant : hoc occaſus triſtemq́ ruinam
Solabar Litauûm, fore poſt voluentibus annis
Hunc populũ late Regem, qui Balthica quicquid
Littora, & Euxinum, Volgæq́ interjacet undas,
Imperio, & magná ſemper ditione tenerent,
Et ferrent Litauúm ſublimia nomen in aſtra.
Nunc haud antiquæ laudis mihi fama ſub imos
Pervenit manes, hoſtem crebreſcere noſtro
Imperio, & Moſchis victos parére nepotes,
Quos ego ſub Pontum Mithridatęumq́ pelorum
Extuleram, exiguis Litavos equitare per agros.
Idcircoñe ſumus bellando vulnera paſsi,
Et fruſtrá ſpoliis cives patriamq́ triumphis
Ah infelices atavi decoravimus? eheu
Diſsimiles nobis, ignavi ſanguinis ætas:
At non idcirco Narimuntius emicat armis
Acer eques, ſic ut ceſsent in bella minores.
At non ille minas ulciſci Olgerdus inanes
Diſtu... it: vobis gens hæc tot bella per annos
Terroresq́ feros, cladesq́ incuſsit inultas?
Non talis pubes hoſtes, vicinaq́ regna
Contudit, & famâ ſublimia ſydera adivit.
Non arces, non vallus erat, ſed fortia corda
Murus erant, quibus egregias disjecimus arces.
Pro tunicis aliquot, totidemq́ ſecuribus olim, †

Lituan inſigne Eques Cataphractus.

† Vitoldus Moſcho pro tribus tunicis & ſecuribus, ac mellis aliquot vaſis, & totidem equis bellum intulerat.

Geſsimus

Veterem ferendo iniuriam, invitas nouam.

Gessimus in Moschos ingentia bella, nec unquam
DESIDIA in bellum me distulit IMPROBA SIREN.
Hostis habet vestras urbes impune, colitq;
Nec vos accendit vel laus, vel dedecus ingens.
AT TV SPES Litauum, lux ò fidissima nostri
Imperii, qui res fluxas, sublapsaque prompte
Restituis, quantumque potes tam noxia secla
Diffingis: succurre tuis, & sterne ruiná
Imbelles Moschos: solus qui vincere possis
Et reor, & si quid certi mens augurat, opto.
Crastina lux cernet Moschorum funera campo.
O mihi quàm blande, quam molliter ossa quiescat,
Vestra meos olim cum sustentabit honores
Virtus, egregiasque animas, laudesque parentum.
Nunc vince, hæc summa est: at te post vltima fata
Fama sepulchri expers longo dignabitur æuo,
Perge libens, quò te VIRTVS agit ALMA, iubetque
Consulere Historiæ Litauûm, decoriq; parentum.
His incendebat dictis in bella Vitoudus
Heroëm, ast illum nox intempesta reliquit,
Surgit, & has Ductor sic matutinus ad astra
Fundebat voces: O QVI noctisque, dieque
Annua conficiens labentia lumina cœlo,
Æterno torques nutu fulgentia signa,
Solivagumq; regis genus, humanosq; labores,
Halmyraq; OCEANI vada, juraq; sæua silentum,
Sis bonus o felixq; tuis, & publica vota
Non quia promeriti, sed nos quod amasq; fovesq;,

Suscipe

Suſcipe: da deinde auxilium ſulgentis Olympi,
Meque velis, civesq; meos arcere periclis.
Dixit,& auditas teſtatus ab æthere voces
Inſonuit,totumq; Parens tremefecit Olympum,
Concuſsitq; ſonans argentea ſydera mundus.
Parce metu, DEus, ipſe Deus, ſonat æthere ſummo
Claſsica: jamq; novo Sole irrorabat Eous
Æthereo e nimbo terras,camposq; virentes.
(O ueneranda dies! Sol ò laudande!)vehebat
Sol ſuper aſtra diem ſolatia magna ferentem.
In numerum Ductor turmas diſponit ovantes.
Soyſcius in ſyluis,& Moſchi tuta tenebant
Caſtra loco,pictis acies clarabat in armis.
Hoſtis adeſt: eja,nunc nunc quod ſæpe petiſtis,
Quod votis optaſtis adeſt, oſtendite dextris
Haud linguá Martem : nunc fortia isq; parentū
Facta refer,patriæq; memor,natúmq;, bonæq;
Coniugis: en laudis campus,nunc viribus uſus.
Sic Radivilus ait,tum claro murmure paſsim
Incinuére tubæ , ferit aurea ſydera clamor, *Signū prælio detur.*
Atq; alacres penitus fervent ad prælia turmæ.
Vmbrãtur mõtes jam veſpere:nec mora pugnę, *Pugna ſub veſperam cõmittitur.*
Zenoides fortis juvenes ſic infit ad acres:
Ecquis erit mecum,ſocii, qui primus in hoſtem
Irruat? en primus cupio me credere campo :
Erumpunt alacres: concurritur : ingruit imber
Ferreus,atq; fragor ruptis ſonat editus haſtis.
Nec minus adverſo concurrunt agmine Moſchi,

Adductisq; simul protendunt pectore dextris
Fraxineas hastas: mediis in millibus alti
Ductores Moschorũ. Ductores volitant, ZACHARINVS, & acer OSIPHVS,
BYCOVIVS pinis patriis, & quercubus æquus,
Ferreus, & cristis caput altum immane coruscans,
Martem acuit, transitq; acies, & vertice supra est,
Ponderamenta ferox galeæ, setasq; renutans,
Invadit turmas Litauûm violentus: at illi
Fagina Zenoidæ tantos tremit hasta per armos,
Transfixitq; virum specus atri vulneris undam,
Cumq; animá vomuit, cadit & superintonat alto
Lapsus equo, multaq; jacet protensus arená.
Quanta Polottiacis antiqua in montibus ornus,
Cum cadit Edonis euicta Aquilonibus, ingens
Fit sonus, & nemorum syluæ, ripæq; resultant.
Cui Litauus Mo[illegible]ende jace, quam Marte petisti
Littaviam metire ja[illegible]s: Dat plurima letho
Corpora, nec minor est cõitũ furor: agmine facto
Incurrunt hastis, oriturq; acerrima pugna
Marte resistentum valido, contraq; ruentum.
Ductores Moschi tantas impune cientem
Zenoidem strages armis sine more videntes,
Vnum omnes circumsistunt, unum agmine circum
Densantur, glomerantq; manum, ceu turba leonẽ,
Multa cruentantem campis armenta, fatigant,
Sanguineum tamen os, & lumina sæva retorquet:
Haud aliter juvenis telis urgetur, & ictus
Sustinet innumeros, pugná congressus iniquá.

Obruitur

Obruitur nimbo,& partem verſatur in omnem.
Ac tum fraude locū Moſchus ſpeculatus, in enſem
Conſurgit,ferit,ingeminant clamore frequentes
Moſchigenæ: ſed non trepidis præcordia fibris *Zenowicz vulneratur.*
Turbatus,neq; tu lætabere vulnere noſtro
Hoſtis,ait,tum fulmineum præceps rotat enſem,
Et Moſchi fruſtra clamantis condidit ore.
Hic fidens Mordvis immani corpore vaſtus,
Trux SEREMETVS adeſt IVANI nomine dictus,
Inclyta quem Martis ſublimem gloria tollit.
Tum LEO magnanimus qui debellare feroces,
Hordigenas ſuerat,jam morti debitus,atq;
Paleciii gemini, David Scuntoria proles,
Promouere leves cuneos & quâ datur: illac
Adnixi ſummis concurrunt viribus,omnes
Infortunatis fortaſſe parentibus orti.
Eminus hi feriunt,decernunt cominus illi.
Implicuere acies,turbataq; quadrupedantum
Pectora pectoribus frangunt: creberq; viro vir
Denſatur,magno crudeſcit pugna tumultu:
Sicut inæquales cum turbauere procellæ,
Vulturno Boreâue fero querceta laborant,
Ventorumq; gemunt ſyluæ ſtridentibus alis.
Sternitur infelix Seremetus,& ore momordit
Tellurem, & moriens dulcem reminiſcitur OCAM.
Nil illum patriæ Ceremiſsia tela ſagittæ,
Nil validæ juvere manus,emiſſa furentem
Glans petit, & rapidum ſervat prorupta tenorem,
Quam

Quã nec ab ære rigens thorax, nec lubricat umbo,
In membris donec moribundi corporis hæsit.

Secũda acies.

At Chotcheuitii fratres, duo fulmina belli,
Et Sangusco manu præstans, ac nobilis hostem
Sternere, tum Litauûm delecti rursus inundant:
Fit sonitus: miscent sic alternantia Martis
Prælia, & ingentem pugnam, ceu nulla virorum
Bella forent, nulli diversa parte ruentes.
Delectat bella atra cruor, formosaq; caussa
Firmat & attollit geminas in pectore vires:
Atq; hic se Litavis magná comitante catervá

Kolicjow. Moschus.

Colicides offert, spargitq; volatile plumbum,
In RADivilonias acies, bellum integrat ardens,
Et furit, aspirat fallax fortuna labori,
Pars gladio metit adversos, pars maxima glandes
Liventis plumbi, sævis misere chelydris,
Pars gravibus quoq; corytis vallata, sagittis
Innumerabilibus fulgentia sydera obumbrant.
Colicides mediis exultat millibus, acri

Moschorũ equi scissis naribus.

Quadrupede involitãs, flammã vomit ille repãdis
Naribus, elatisq; fremit cervicibus alte.
Quem primũ gladio juvenis? quem præpete ferro
Dejicis? instaurans acies præstantibus ausis.
Non tulit hoc forti comitatus robore pubis
Tempora Sangusco vestitus flore juventæ,
Sed contra ire parat: manet ille, & mole suá stat.
Aut ego nunc, inquit, spoliis ero dives opimis,
Aut letho forti, tum lumine mensus, acerbam

Turbineam

Turbineam misit glandem, quam per nemus omne
Cum sonitu vis dura tulit, quercumq; vetustam
Sauciat, hostiliq; nihil de corpore strinxit.
At Sangusco ferox vaginá diripit ensem,
Ensem fulmineum falcato robore ferri
Per galeam, tegmen capitis, cerebrũ haurit apertũ.
Quem super assistens victor, truncumq; tepentem
Provoluens fatur: Moschi, gens dira, referte
Hunc bellatorem vestrum, ni sub Iove mavult,
Alitibus cibus esse feris, solatia terræ
Permitto, dextrá tamen hac cecidisse feretur.
Hinc Basili natum fortem petit ense Simonem.
Fedorumq; Ducem, Cimophæa, trucemq; Borissũ.
Ecce Porozouiũ primũ agmen in arma vocantẽ
Conspicit, et, si quæ est in Moscho pectore virtus,
Incipe: vibrantiq; virum mox occupat harpa
Fervidus: ast illi languescunt lumina morte,
Barbaricumq; iacens in sanguine purpurat aurum.
Sic animis Moschûm pavor additus, undiq; campis
Palantes fugiunt, tamen undiq; mortis imago
Apparet, nec inest pedibus spes certa salutis.
Soyscivs ut vidit Litavo dare terga sequaci,
Infractos Moschos, firmat malefortia corda,
Et simul ad socios: quò nũc? quæ deinde sequemur
Tuta fuga? patriumne solum, Ivaniq; sequemur
Ora, minasq; Ducis nostri pœnasq; feremus?
Quò fugitis Moschûm pubes? seu mortis honores,
Seu vitam cupitis, campo quærantur aperto.

Heroës apud Poëtas concedunt occisos humari.

Soysciuspũgnam instaurat.

Mors timidissimum quemq; sequitur.

Fidite ne pedibus, fugienti veriùs instant
Fata: sed huc quà nos globus hic densissimus urget
Vertite signa: simul sistit totum agmen: at illi
Agglomerant densi cuneis se quisque coactis.
Utque leves muscæ circum cava cymbia lactis
Non proiiciendus clypeus. Densantur: sic Moschigenæ simul agmina iungunt.
Suadet inire fugam pavor, at Pudor usque retentat.
Quos ubi confertos vidit RADivilius heros,
Atque moram tenuem Litavis superesse triumpho
Agnovit, fatur: SOBOLES MAVORTIA mecum
Affectum annixi jam profligate laborem:
Et date quæsitâ Moschis tellure potiri.
Sic ait: & torrentis aquæ, vel turbinis instar,
Infusique velut calamis cum grandine nimbi,
Dilapidant sata læta, nec exercere diem fas
Agricolis, tantus furor & violentia cœli:
Sic ruit adversos alacer RADivilus in hostes
Fit sonitus, chalybem sublatum quisque coruscat.
TERTIA tum postquam ventū est in prælia, totas
Implicuére manus, & per fera vulnera mortes
Edebant, sævo sollemnia munera bello.
Densa senum ac juvenū miscentur funera campo:
Descriptio Tumultus Bellici & Imago. Per medias acies, ferro cælatus, & ære
Mars homicida ruens totum se cœde colorat,
Sanguine luxurians, roresque † covinus in altum
† Currus bellicus falcatus. Sanguineos spargit: currum Discordia demens
Præcipitat per strata cadavera, multa flagello
Sanguineo resonans, spargitque volatile ferrum
Omnigenam

Omnigenam in partem, vaſtum clamante tyranno,
Cuius ut inſandi bijuges TERRORq́ꝫ, METVSq́ꝫ.
Audivere ſonos, quamvis ſudore per artus
Sanguineo fumant, diris hinnitibus illò
Corripuere viam, quá ſe condenſa movere
Turba virûm, prohibet: quorũ ille pavore timentũ
Corda virûm ſternit, mentẽ hic expectorat omnẽ,
Objiciens oculis monſtrum Formidinis atræ,
Terribilemq́ꝫ Fugam, propter Diræq́ꝫ, Doliq́ꝫ,
Inſidiæq́ꝫ ſimul, Belli comitatus, aguntur:

Dimos & Phobos equi Martis.

At Formidatæ facies Acherontis alumnæ,
Pallida Tiſiphone, ac BELLona ſororia iungit
Agmina, nil miſerans LIBitina, & cœdis anhelans
MORta, tremendarum peſtes atq́ꝫ ora Dearum,
Contra Iuſtitiam, Fas, & Decus, atq́ꝫ Salutem,
Atq́ꝫ ſerenantem vultu mala bellica PACEM,
Tela tenent, lethumq́ꝫ viris, & funera miſcent.

At ſuperas inter nubes Victoria pennis
Fulgurat auratis, in avis collecta figuram,
Hæc paribus nitens alis ventoſa per auras
Ambiguo lapſu gyros ducebat, & infra
Aſtra, ſolumq́ꝫ ſuper vario ſe tramite librat,
Nunc illis propior, nunc his, ita fertq́ꝫ, refertq́ꝫ
Sæpe vias, modò dependens, dubitare putares
Cui faveat parti, cui ſe ſacer annuat ales.

Victoria recte antiquorum poetis cœligena dicta.

Tum verò ſeſe conſtipauere phalanges,
Extremiq́ꝫ negant primis, mediiſq́ꝫ regreſsum.
Hæret enim pede pes, mucro mucrone, viro vir,

 Ingerit

Ingerit æratos paſsim manus horrida nimbos.
Nunc demum extremi Martis certamina:pugnant
Quantũ animis,quãtũ arte valẽt,ac vulnera crebrá
Dantq́ feruntq́ manu, gemitu ſonat undiq́ luctus,
Seminecesq́ viri ſtridentia vulnera propter,
Difficiles obitus gemitu teſtantur amaro:

Oſiph & Skuntorow cæſi.

Occidit Oſsiphus præſtans Theodoria proles,
Sternitur & natus Scuntori trux Davides ,
Horrendus clauá juvenis,curvaq́ ſariſsa.
Cui medios inter pugnanti fortiter, ecce
Improviſa venit glans,quam non nunciat ante
Adventum ſtridor,quàm candida pectora rupit.

Palecii fratres Moſchi occiduntur.

Vos quoq́ PALecii Litavis jacuiſtis in arvis,
Ivanus cum fratre Simone,ſimillima proles,
Nunc lacrymoſa dedit vobis diſcrimina Fatum,
Nam tibi Sarmaticus vitam Simon,enſis ademit,
Cui caput ex humero dextro cervice pependit.
Te miſerande caput moriens, Ivane, requirit.

Mikyta Romanowicz occiditur.

Te quoq́ Romani ſoboles præclare Micyta,
Viderunt ſyluæ morientem,glande recepta
Ad terram non ſponte ruis,pars magna Senatus,
Alitibus data præda jaces,miſerande Micyta.
Dextera nec tua te Moſchûm fortiſsime Coſma,
Nec tua te Selivone feris aſsuete necandis,
Eripuit letho,nec te præclare Demetri.
Cui deiectum uno iacuit longè caput ictu,
Vos quoq́ CuntorI, Sila, fortisq́ Micyta,
Mortales magnæ laudis,belliq́ labore

Eximios,

Eximios, Scythicis imperdita corpora telis,
In Litauûm terris, & belli finis, & ævi
(Sic visum est superis) mansit, nec vestra parentes
Lumina clauserunt nimio defecta dolore,
Impubesue genas lacrymis sparsere caducis.
Quis rabiem duri Martis, quis funera fando
Explicet, aut possit Bellonæ æquare furorem
Dicendo? tum Martis equi terrore paventes,
Afflarunt Moschos: primum circumstetit horror
Soysciaden, fugit amissis legionibus, & jam
Clara per horrendos nemorum sua lumina saltus
Auriiugis fundebat equis purissima Luna,
Et nox umbranti contristans omnia pallá,
Horrida pandebat trepidis velamina Moschis.
Sæpe Libyssinis immergi clara Selene
Fluctibus, anfractus voluitq; revisere lapsos,
Et ferrugineum frustrá meditata colorem,
Aut matutini radiis occurrere fratris
Optauit, tantos hominum miserata dolores.
Solivagæ nemorũ Nymphæ, Panesq; per umbras
Semiferi, totas (si mens non cæca fuisset)
Pandebant sylvas, latebræ frondentis amictus.
Relliquias Moschûm, nec non dilabida letho
Agmina, si quæ fata sinant, servare volentes.
At desolatos Litavorum turba maniplos
Assidue impellens, telis ferroq; premebat:
Ipse Ducis fungens RADivilus munus, & acris
Militis, ut graciles campestris messor aristas,

Ceruum Ducem sequuntur galeati lepores.

Moschorũ 30000. occisa é5000 Lituan:

Arva metit matura, licet ſub luce maligná
Moſchorum juvenum ſternebat corpora ferro,
Per collucatum nemus, & vix ſufficit ipſa
Iam Libitina neci: nec iam trux portitor umbras
Transvectare poteſt Stygiæ vada liuida ripæ.
Dumq; lupum veluti cervi per devia vitant
Graminis immemores, ſic Moſchos abſtulit error,
Pars amnem præceps Vlæ, turbante tumultu,
Irruit, & ſolitos retinebant agmine lapſus.
Arma, viroſq́; trahens, miſtoſq́; ancilibus arcus
Vla flu: refertus cadaueribus. VLA, moramentis impervia præterlabi,
Cæruleos Nymphe roratos ſanguine vultus
Extulit, atq; videns miſcentem littore turmas,
Talibus alloquitur Radivilum vocibus ultrò:
Vnice Littaviæ Ductor, quem te tua clava
Arguit, horrendum Moſchis, fortemq́; duello,
Parce verecundos ultra temerare liquores,
Parce precor: ſat me condenſa cadavera turbant,
Semianimeſq́; gravant tenuem ſine more catervæ.
Vidimus en ſaltus longè, lateq́; vacantes,
Innumeraſq; neces duris eluximus annis:
Sed ſatis infidos hoſtes ulciſcimur, enſis
Incaluit, tandem laxata licentia frænos,
Deſinat inſontem fluvium inceſtare cruore,
Vla peregrinis ſi non ſum è fontibus, atq; hæc
Lympha Palæmonios ubertim frigerat agros.
Hæc ait, ac tremulo criſpans in gurgite fluctus
Cinxit arundineá vitro par corpus in alga.
Et cœlum

Et cœlum in nimbo nox intempeſta premebat.
Hac pugnata tenus ſub EvanſcI limite bella.
Nunc quoq; perfuſi pingueſcunt ſanguine ſaltus,
Oſſaq; denſa virûm preſso feriuntur aratro,
Omnia poſt genitæ quondam miracula genti.
Soyſcius intereà ſylvis latitabat in altis
Errabunda trahens veſtigia,iamq; ſequentes
Per gladios,per tela vias evaſerat omnes,
Victima ruricolæ crudo ſine laude futurus.
PINEa ſylva fuit quam rara ceciderat ætas,
Aſpera,pinaſtris ſylveſcens undiq; denſis,
Parva per incultos tendebat ſemita calles,
Pauperis hanc ægrè triuit poſseſsor agelli,
Soyſcius hìc latitans,dumisq; ſilentibus errans.
Plangentes vento ramos,aurasq; timebat.
Viſus adeſse hominum ſonitus,caput extulit,atq;
Hìc frondatorum ſonat icta ſecuribus ingens
Quercus: ad hos poſitâ formidine Soyſcius infit:
Siſtite me quæſo,mitiſsima corda Polotto,
Atq; animam hanc ſervate mihi, ſunt multa talenta
Parta mihi,magnumq; argenti pondus,& auri,
Iſta dabo vobis: ſed vos me reddite ſaluum
Prædulci patriæ: ſic vobis plurima pingat
Meſsis agros,cornuq; ſuum bona Copia ſolvat
Omnigenam in frugum faciem: ſic dixit:at illis
Haud perſuaſit opus: iactanti talia namq;
Non nemo ſævam librans immane bipennim,
O rantis,nec non promittere plura parantis,

In campo Iuanſcio nūc ingens acervus oſsium humanorū.

Soyſcius in ſyluis latitat.

Soyſcius à Ruſtico occiditur ſecuri.

Altior

Altior inſurgens,ingenti linquit in armo:
Scilicet incolumis redeas tot cauſsa malorum,
In patriam?& noſtros infandum exuſseris agros?
Et Litauûm toties ſudarit ſanguine littus?
Non ita : proinde tuis natis hæc parce talenta,
Nunc morere,& cineres & funera noſtra repende.
Mox alii multo lapſantem vulnere fœdant,
Aſt illi calido liquuntur ſanguine rivi.
Voluitur infelix magnis male viribus uſus,
Et formidatus populis,velutiq; lucernæ
Defecto lychnis tandem moriuntur olivo :
Talis erat SoiſcI jam iam morientis imago,
Lurida terribilis cum lumina pallor obibat,
Æternæq; leves oculos texere tenebræ.
Sedibus hunc retulere ſuis, & mortis honore
Dignati Litavi : Moſcis hic editus oris,
Caſnicii rapuere,tenet nunc Vilna ſepultum.
Interea Moſchi diuerſa in parte furentes,
Ingenti numero campos populantur opimos,
Iamq; Polottiacis SoiſcI legionibus arma
Iungere,& infeſti convertere ſigna parabant,
In medias Litauûm terras,Vilnæq; ſub arces.
Quis Litavis,Muſæ,tam ſæva incendia terris
Avertit,diros quis depulit arcibus ignes?
Ille idem ſolers operum Radivilius heros,
Audacem miſit iuvenem,qui tenderet hoſtes
Per medios,ferretq; bono,quæ geſta Philoni,
Cunctaq; captivus quærenti ediſserat hoſti.

Soyſcius Vilnæ in tẽplo B. Mariæ Græcæ Religi. ſepultus. Alter Moſchorum exercitus ad Orſam.

Radivili ſtratagema quo Serebrini exercitum fugauit.

Comprobat

Comprobat eventus factum, clademq; recludit
Moſchorum, dextrá Litaûm, cecidiſse Phalanges.
Quæ poſtquam trepidas fando pervenit ad aures
Fama volans, tantæ Moſchis prænuncia cladis:
Terga fugæ celeri nudant, ſaltusq; per omnes
Diffugiunt, quantumque fugit cum ceruus in altis
Montibus Hircanum vidit rugiſse leonem:
Tantum Moſchigenæ fugiunt: nec fama nec ulla
Sæva morantur iter magni præcepta tyranni:
Stulti quis pedibus ſubijt ſperare ſalutem.
Quæ iam pręcipiens animo Radivilus, in hoſtē
Te generoſe Philo Cmitarum gente, ſimulque
Hoſticum miſit belli Martisque peritos.
Caſtra inimica petunt, trepidantia terga fatigant
Cœdibus aſsiduis: pars ad diuortia nota
Objiciunt ſeſe Moſchis fugientibus, illi
Alta Boryſthenij complebant littora fluctus,
Humiferam mortem lethæa fluenta bibentes,
Cœruleoſq; ſpecus Neptunia regna petebant,
Gurgite turbineo ſpumoſis fluctibus undæ
Supplicia hauſerunt, involvit equoſq; viroſq;
Purpureus vortex ibi mortis honore carentes.
At Litaui gazas, opulentaq; caſtra rapinis
Tota ferunt, magno ſuper ornamenta triumpho.
Salue magna parens, Littavûm clariſsima tellus:
Ecce tibi gentes victæ ſpolia ampla dedere
Summiſitq; manus Moſchus, regnumq; ſuperbū.
Hæc ſemiplena fidens legione peregit

Philo Kmita cum Georg: Hoſcik Moſchos fugientes cœdunt.

Caſtra latiſsima & opulenta à Lituanis capta.

m Nico-

Nicoleos, quando ſævo colliſa duello
Moſchia Littaviæ, perſolvit ſanguine pœnas
Purpureo: teſtis celer Vla, Boryſtheneoſq;
Vnda, lacunantes ingenti ſanguine ripæ.

Nil ſibi fortuna de virtute decerpit.

Hæc tua ſunt: nec ſe tantis fortuna periclis
Bruta facit comitem, Radiuile, tuiq; laboris
Ferre negat precium, placido licet illa videret
Lumine te, nec fixa oculos averſa teneret,
Atq; ſerenato clemens arriſerit ore.
Sed te præſtantem facit experientia belli

Experientia belli & labor Radivili.

Maxima, quam tu non cupiens ignobilis otI,
Non inter luxus, ſed Martia bella viroſq;,
Nec cogens, potius monſtrans tolerare labores,
Aſſveſcis: non ulla mali, facieſq; pericli
Terruit innumeris exercita pectora curis
Militiæ: hinc veteres ingentia nomina vincis,
Quod patriæ tellus, & ſceptris libera noſtris

Fama Nicolai Radivili.

Diſsidet Europæ quæcunque fatebitur ora:
Invidiam rabie veſanam ſpernis, inersque
Iudicium temnis: nec nos tam dira cupido
Laudis agat, quæramus uti ſuffragia turpis
Invidiæ, ſatis eſt quod cum odit, laudat abunde.
Non ego virtutes, quibus aurea ſydera adibas
Enumerare queam: quam ſi complexa prehendit
Semina terra ſinu, mulcetque ſalutifer ignis,
Vitali vegetans animá, fit meſsis opima:
Sic tua mens teneris olim nutrita ſub annis,
Indole præclará, magnis ingentior actis,

Amplificat

Amplificat nomenq́; tuum, laudesq́; præaltas.
Quæ neque longa dies, venturorumque nepotum
Posteritas, tempusque volubile nesciet, atq́;
Musa licet tantis defessa haud sufficit actis,
Historiæ unanimes antestabuntur honori,
Semper eris, quid te iam nunc mortalibus æquo?
Inde viro gravitas ingens effloruit, inde
Hostibus & sociis laus suspicienda, Fidesq́;.
Quin etiam Litavûm jurati excindere gentem,
Admirabantur Moschi, justumq́;, piumq́;,
Et nostro hunc stupuére solo lucescere Solem.
Hunc pietate grauem ac meritis Moschouia tellus
Suspexit, mirata virum, seu bella secundis
Vinceret auspicijs, seu cum prodiret utrinq́;
Pacifer, & fessis populis componeret arma.
Hosti etiam reuerendus erat! nec vincere possunt
Cujus amant laudes: ò formosissima rerum
Et merito Virtus, quid non mortalibus adfers?
Tu volucres tardas & fati & temporis alas,
Tu, dea, tu quodcunq́; bonum, quodcunq́; beatum
Concilias, tu das sceptris accedere diuûm,
Et laude, & superûm vitá æternante potiri.
Ad te confugimus, tua nos sub jura clientes
Mittimus, atq́; ævum decus adveneramur in omne.
CVR psciius auctorū descendens sanguine prisco
Russigenûm, fuit in Moschis fortissimus unus,
Præsidium gentis, quo se tum barbara tellus
Iactabat, meritusque manu, factisq́; decoris

Auctoritas Radivili apud cives & hostes, ut illius Fidei urbes dederēt

Digreßio ad laudem Virtutis.

Dux Andreas Curpski, inter Moschos peritus rei militaris Lituanis se coniungit anno 1565.

Inclytus, & titulis auctus persæpe Scytharum,
In spem tollebat Moschos, atq; omnis in illum
Accensus plebisq; favor, spes ipsa tyranni
Destinat hunc Litauis hostem, Mars fortis abundè
Solertem dederat belli rationibus artem.
Ergo iterum cernens recidiuo surgere bello
Infractos populos, Martemq; resurgere sævum.
Integrat assvetos patriæ pater usq; labores,
Quid struat his cœptis iterum temerarius hostis.
Vt cum longinquo conspirant termine mundi,
Pollentes Austri ventosa per æquora, contra
Alpini Boreæ perflant transversa procellis,
Tùm nimbi, & medio cœlum ruit omne peloro.
Iamq; fremens propius littus sonat horror ad altũ,
Pallescunt populi, dabit ah habit ista ruinam
Vrbibus undarum moles, ruet omnia latè
Cumq; satis, trahet & villas, & tecta ferarum:
Sic pater asiduo Radivilus pectore fixam,
Versabat curam, surgentem sæpius imbrem
Sangvineum volvens, sparsurumq; omnia cœde.
Talia volventi, subijt pulcherrima tandem
Cura, virum fortem Litauis adjungere rebus,
Atq; caput belli Moschis quandoq; futurum
Demere, tum monitis hæc scripta fidelibus addit:
Caput belli tollendum aut corrumpendum.
Inclyte Moschigenûm, quia nã non desinis illis
Non profecturas spes, conatusq; fovere?
Ecquid vbi strages cernisue, audisue tuorum
Vlterius speras? juvenum tot millia cœsa,

Vidi-

Vidisti,& virides pingvescere sangvine campos.
Turpe solum proceres mento tetigere superbi.
Quæ regio vestro non sanguine decolor? aut quæ
Expers cladis erat pars Moschovitidos oræ?
Quid struis? aut quā spe te hostē victoribus addis?
Teq; iterum unda fretis incerta in bella resorbet,
In medio nuper versantem turbine lethi.
Nempe triumphalis benè gesto Marte corona,
Te populo ostendet: vel, rem corruperis, atræ
Eripiere neci? mores hucusq; tyranni
Nescis? te populus venerabitur, oderit ille.
Viceris, ast illi magnum, te vincere, probrum.
Et fortunati nimium (scis ipse) timendi
Regibus esse solent, quicquid super eminet, horrēt.
Nec fidei servare veto sanctissima jura,
Sed te poplivori nolim Ducis esse ministrum,
Infandi capitis: vim nostram expertus es olim,
Nunc in amicitiæ ius accipiere vocatus,
Ipse velis, nec te rabidi sperata tyranni
Munera detineant: certis hunc destinat aris,
Sæuus opimauit multo quem tempore Princeps.

AEgris oculis tyranni aspiciunt popularitatem.

TALIBVS admonitis RADiuili Curpscius ultro
Paret, & illius nomen, Famamq; secutus,
Adjunxit sese Litauis Rhæ littora linquens.
Sed mihi vel stellas, & inenarrabile cœli
Agmen, Erythrææ numerum comprendere arenæ,
Sit prius, annales quàm possim evolvere versu,
Et benefacta viri numero subducere certo.

Andreas Curpscius se Lituanis iungit.

 Quæ

Nicol Radiuilus ob merita donatur ab Augusto Palatinatu Vilnensi.

Quæ pater Auguſtus cernens, faſtigia donat
Sacra, Palatini magnum Vilnenſis honorem,
Poſt obitum fratris, ſimiles qui rexit habenas.
Alter ab undecimo fuit annus tempore ab illo
Quo tetigit decoris tanti faſtigia: iam tum
Sarmaticũ Stephanus regnandum acceperat orbẽ
Batthoreûs, ævi decus & prudentia noſtri.
Cuius in adventum jam tum Mæotidos undæ
Horrebant fluctus, trepidat Moſchovia diris

Prodigia et ſigna quæ Moſchis cladem portendebant.

Ominibus, jam terrebat ſublimis Olympi
Relligio pavidos, iam conſcia murmura terræ.
Signa dabat cœlum, cœlum quis dicere falſum
Audeat? & mœſtum rubuerunt ſangvine nubes.
Sangvinei toties lugubre arſere cometæ,
Nuncia fax triſtis belli, cladisq́ cruentæ.
Tum formidatæ facies, tremulæq́ columnæ,
Horrificiq́ ignes, bellum peſtemq́ monebant
Vitare ingentem: vos ò clariſsima mundi
Lumina, quæ ſine fine diem diſcernitis almum,
Præſcia venturæ cladis procul illacrymaſtis.
Et pater altitonans nutu, ſignisq́ frequentans,
Et cœlo, & terris (heu) funera dira canebat:
Nam modo terribilis Sol contriſtabat Olympum,

Cicero de Divinatiõe.

Lurida ſollicitis oſtentans lumina terris.
Nunc fulgente domo Latonia nocte perempta,
Occuluit ſancti decus immortale pudoris.
Bellorum ſonitum toto Moſchovia cœlo,
Audiit, & vidit fera pila minantia pilis,

Aſtraq́

Aſtraq; puniceo horrendum ſuffuſa rubore.
O quoties & quæ vel tempeſtate ſerená
Multiplicata pari numero, per regna Trionum
A veſpertinis ſonuerunt fulmina terris,
Fulmina luctifici prorſus bene conſcia caſus,
Et nil veſanum motura tonitrua regem:
Tum quoq; (ſi quid habet fidei genus altivolantū)
Obſcœnæ remores, pariæq;, ſtrigesq; neſandæ,
Præmonuere malum, ſi mens non læva fuiſset.
Tempore quanquā illo tellus quoq; plurima ſignis
Flebilibus doluit, cupiitq; ſacerrima clades
Has arcere parens: montes, ſyluæq; per omnes
Inſolitis ſubitò gemuére tremoribus oras.
Vox quoq; ſemiferûm luco exaudita ſilenti,
Et Mauſolæis, & per nemoralia fana,
Et mœſtùm (ſi vera ferunt) lacrymaſse Nicolam,
Nocturnisq; canum latratam ululatibus urbem.
Sylvifragis nemorum quoties Aquilonibus alta
Vſq; laborabant, minitanti murmure venti.
Ah quoties rerum ſimulachra novata tyrannum
Sollicitaverunt! nihil ille, nec aſtra, nec ullos
Præmonitus audit præſagi durus Olympi.
O ſilices cordis! velutiq; Boryſthene cautes
Tunditur in medio, dorſum implacabile nautis:
Irrita ſic prorſus rerum monimenta: tyrannus
Haud minus obnixo bellum ſub corde premebat.
Vnum adeò penitusq; fuit mirabile monſtrum:
(Horreſco referens): hibernis ſolibus ibant
Moſquam

Quod erat auguribus Roman. infortunii aut cladis ſignum

Remores aues malæ et infortunij ſpōdentes.

In Boryſthenis oſtiis Cataracta ubi Nizouii habitant. Porohi.

Verum & inſigne portentum.

Moſquam conjugibus cum Moſchovitides:atq; hic
Excita ventorum rabies,molesq; coorta,
Eripit ex oculis cœlum: cum turbine multo,

Lapis quadratus, ſanguine ſparſus, incognitis literis ſcriptus vẽto defertur

Quadratum,variis mæandris marmor aratum,
Sanguine purpureo ſparſum cadit,atq; ruiná
Oppreſsit Moſchos: Moſchæ terrore,nec auræ
Necq; ſui memores,vix tandem mente receptá,
Implerunt totam queſtu & rumoribus urbem.
Signa loci,ſanguis: juvat ire,& monſtra tonantis
Cernere,quid ſignent: trepidusq; per oſsa cucurrit
Dura tremor populi : ſatis horum morte piantor
Hæc Deus,ajebant: at inenarrabile ſcriptum,
Ivanus cernens,ſtupet,ægreſcitq; tuendo.
Tum primum Moſchum populi videre paventẽ
Relligione rei:neq; mos hæc gentibus,inquit,
Nec natura facit, nec ineſt hic caſus & error
Fortunæ incertus,Deus eſt Deus auctor:adeſte
Sollicito monſtris,quisquis fruiturúe ſilentum
Colloquio,diuûmúe animo inſpiratur abunde,
Callidus ambages venturi pandere ſecli,
Quid tantæ rerum ſortes,quid deniq; monſtrant
Scripta peregrinis lapidis ludibria ſignis.
Continuò antiſtes: nec inenarrabile carmen
Fas mihi perlegere eſt,nec ſum quid carmina ſignẽt
Neſcius,eventus nobis portendere diros.
Eheu quantus adeſt ſudor,quæ funera ſpondent
Fata tuæ genti ! nos hæc nos omina tangunt:
Heu quanti a Litavis impendent finibus imbres !

DI meliora

DI meliora velint, & fatum hoc hostibus esse.
Hæc ait, atq; eadē populus simul ingravat omnis.
Talia dicentem jamdudum ridet & odit
Ivanus superûm temptor, sunt & mea contra
Fata mihi, ferro gentes vastare, nec isthæc
Famina, vel portenta suis terroribus obstant.
Ne qua meis dictis esto mora: Moschica pubes
Quamprimùm in terras mecum celerate Livonū.
Heu vani monitus, frustraq; cauentia regnis
Prodigia, inclinant quò fata, voluntq; sequēdum.
Vrbs Codani vicina sinus, atq; ostia propter
Fluminis Istulei, Gedanum cognomine dicta,
Lecchiadæ coluere viri, Germana propago,
Post tenuit, tutos habitare accommoda portus.
Hanc tum bellantem frustrà, nec viribus æquis,
Sarmatiæ magnâ Rex obsidione premebat,
Agmina prosternens Gedanēsia Marte secundo.
Cum subitò infelix perfertur nuncius, hostem
Feruere cœde novâ, lateq; inferre per agros
Excidium præsens, & debellare Livonum
Oppida, non ullis crudelem parcere rebus,
Omnia misceri luctu, totamq; tumultu
Littauiam, & terras penitus trepidare Livonum.
Quid faciat? quibus ille modis auertat ab oris
Barbaricas acies? indeptam deserat urbem?
I, Radiuile, tuus labor est hæc monstra domare.
Nec mora Selborcum versus fulgentia duxit
Agmina, & in ferrum patriæ pro laude ruebat.

Quæ fato manent, quamuis significata nō vitantur. Tacit. 1. Histor: Fatis agimur, cedite fatis. Sen: Trag.

Gedanum emporium ad Codanū Sinū à Stephano Rege oppugnabatur, interea Moschus in Liuoniá grassatur anno 1570.

Moschus fugit venienteRadivilo, et tormenta proiicit.

Iamq; fluentisonas Dunæ veniebat ad oras,
Cum trepidans hostis (Moschi ista negabitis olim)
Oblitus decorisq; sui, quondamq; minarum,
Terga dat, expertæ metuens occurrere dextræ,
Furari solitus bellum, tormenta pavore,
Mole fugam celerem fortasse morantia liquit,
Nec te sævorum sævissime iure tyrannûm
Dedecuit, qui nunc animum cœlo usq; ferebas,
Fæminei generis domitor, captiua virorum
Agmina per varias mortes evincere fortis,
Accelerare fugam, sylvisq; latere profundis.

Magnus Daniæ Regis Frater Livoniæ Paris.

Vnus erat Dano descendens sangvine Magnus,
Regia progenies, regnis extorris avitis,
Excierat longo cives in bella tumultu,
Quid memorē ut Marte egregias corruperit arces
Infelix, regnumq; agitans in mente Livonum, (se
Multa bono haud cupiēda, viro haud tolerāda tulis
Dicitur, infandá dum proditione tyrannum
Mulcet, & idcirco digna atq; indigna relatu
Perpetitur, frustrá jaculatus plurima bello,
Atq; dolis: sedenim hæc cernēs Radivilus, ab hoste
Evocat inviso, svadetq; relinquere Moschum.
Paruit, & Stephani vixit felicior oris.

Ad Moschum genibus incessit supplex.

Venda in Estlandia, Litvanis Kies, ubi 2 000. Moschorū à Litvanicis

Turrigeræ bello Vendenis mœnia Moschus
Pulsabat, late prosternens, jamq; refractos
Innumero asidue scandebat milite muros.
Hic mentem Sapihæ Mars fortem immisit, & acrē,
Accenditq; virum majoris imagine pugnæ,

Iret

Iret ut ad Moſchos, caſtriſꝗ adverteret agmen
Ocyus, & trepidæ rerum ſuccurreret arci.
Ergo ſtatim ſociis armari edicit: ad hoſtem
Quà cuneo, denſaꝗ ad muros mole feruntur,
Intrepidi celerant: hìc illætabile murmur
Attonitæ pubis reſonat: nam mutua Mavors
Funera miſcebat, ſuper infuſæꝗ phalanges
Agmine condenſo, duræ certamina pugnæ
Contulerant, cæco Litvani Marte reſiſtunt
Defeſsi, & medio poſiti ſub turbine mortis.
Heu mihi nunc horror miſcetur plurimus urbe
Confuſa, nunc eſt animis ingentibus uſus.
O ſocii, Moſchos turbemus clade feroces,
Nec numerate viros, ipſo ſed ut ordine ſtabunt,
Perlegite, audaces præſens Deus adjuvat, & nunc
Tu mihi ſis pugnę princeps magni arbiter orbis.
Signa canunt: rapido concurritur impete, quam ſi
Aerio abruptus vaſto lapis horrifer actu
Monte ruat, præceps ventis, ſylvaſꝗ refringat.
Sic Litauûm feſtina virûm manus ingruit hoſti,
Perfregitꝗ acies validas: Victoria noſtris
Fulſit, & extemplò ceſsit fiducia Moſcho,
Præcipiteſꝗ petunt pulſæ loca tuta cohortes.
Inſtant vi patria Litavi, latoꝗ ſequuntur
Æquore palantes: nox pugnæ finis acerbæ.
At mediis ingens cœdes apparuit agris
Moſchorum, ſtructi juvenum calcantur acervi,
Atꝗ ſuo nimium ſtagnarunt caſtra cruore.

*cis equiti-
bus paucis
cæſa, et plu
rima tormē
ta bellica in
genti mole
capta.*

*Andreas
Sopieha Ca
pitaneus Or
ſanen Lega
tus Nicolai
Radivili
profligavit
Moſchos.*

Præcipuè Martis trux fulmen, ahenea prædæ
Tormenta, & capti proceresq;, ducesq; trahuntur.
Legato, Radivile, tuo, Deus ipse triumphum
Annuit, & magnos cœlo concessit honores.
Sed quid ego hìc autē memorem? quid gesserit illic
Magnanimus princeps, quæ bella exhausta peregit,
Iam senior, vires vltra, sortemq; senectæ.

RADIVILIAS QVARTA.

ET IAM tempus erat magni haud sine mente tonantis,
Vt Stephanus terras, captasq; reposceret arces,
Te, Radivile, suis, Moschis exercite fatis
Consiliis comitem capit, armorumq; labori,

Nicol: Radivilus iam senex Imperatoriū munus strenuè obibat.

Multa super Moschis rogitans, & Principe sæuo,
Et quando non tarda tenet te, magne, senectus,
In Litavas gentes belli te iussit inire
Imperium, cuius semper victoria castris
Sic assueta fuit, vix ut tunc fulserit unquam
Te sine tot bellis: ergo quod celsa Polotti
Mœnia turrigeri nostro haud rubuère cruore,
Gloria vera tua est: jam mœnia flamma tenebat
Vorticibus rapidis undans, & pestifer ignis:
Ingruit infensus miles, propiusq; propinquat
Vis Litavûm: at fortes Moschi, quos vltima bello
Fata

Fata vocant, magnis acuunt fervoribus iras,
Arma parant, dolor & virtus miſcentur in unum.
Tormentiſq; procul reſpondent undiq; ſyluæ.
Tantæ molis erat moribundos vincere Moſchos.
Chriſtiadûm clades miſeratus, & horrida gentis
Funera, conſvadet pacem fortiſsimus heros:
Moſchigenæ miſeri, Stephanine reſiſtere dextrę
Speratis? tantùmq; animi temeraria virtus?
Pręſentem vobis intentant omnia mortem,
Expectatis adhuc ut inundent ſangvine foſſę,
Cum liceat parvo peſtem hanc evadere belli.
Quod ni vos miſeri melior ſententia vertit,
Vltima jam veniet malè ſani meta furoris.
Quin potius, ſi non vos in mala funera veſtrę
Pręcipitant culpę, Stephani ſub jura potentis
Cedite, ſiq; placet regi obſeruate Polono
Vos quoq;, neu noſtras acies & ſigna timete,
Mecum erit iſte labor, mihi tam pia cura recūbit.

Radiuilus perſuadet præſidio Polottico deditionem.

Vix ea fatus erat, cum Moſchi iuſſa faceſſunt,
Admonitus Radiuile tuos, nomenq; ſecuti,
Vnanimes regi diuina humanaq; tradunt.

Polottus recuperatur anno 1579.

Quid repetam Luci cineres atq; oſſa perempti,
Sollicitaſq; viri curas? ut rexerit arma
Auſpiciis Litvana ſuis, ut Marte ſecundo
Velicolucanas victor combuſſerit arces.
Nam qvid ego, heu, diro currentes ſanguine riuos,
Et delibutas ingenti cœde cohortes
Adſpicio? triſtiſq; meas ſe luctus ad auras

Expugnata Velicolucana arce 7. millia cæſa Moſchorū.

 Iam

Iam magis atq; magis profert, per Luccia Tempe.
Heu quia nam tanto miſcentur littora planctu?
Fallor? an infando fulſerunt arma furore?
Atq; renidenti tellus ſacra fluctuat ære?
Sic eſt: en horret gladiis denſiſsimus imber.
Ah metuo, quò ſe tam dira procella? quid autem,
Hæc miſerãda manus campo iuvenumq;, ſenumq;?
Semianimeſq; volunt pueri, & tremebunda puellę
Ter, quater, adductá plangentes pectora dextrá,
Atq; cruentantes os, & laniata capillos
Agmina, natalem lacrymis miſerantur iniquum.
Fl. ad Velicolucum. Velica Reca ſinus trepidis pandebat, at illi
Ter voluere fugam, ter non potuere; querelis
Diſsultant ripæ, ferit horridus æthera clamor.
Ioan: Zamoſcius Imperator Exercitii: Regni Pol. fortiß. Pater patriæ. Incendit rapidas acies, Zamoſcius acer,
Quo non eſt alius validis ingentior armis.
Cœleſtem, pater alme, fidem! non fulmina tantũ
Rupta tonant, quantum fremituſq; furorq; ruentũ
Ardeſcit juvenum: mora nulla, ut cœdis abundans
Campus, & oppoſiti rubuerunt ſangvine clivi.
Sangvine Pannonium ſaturabant agmina ferrum,
Et teneri, ſoboles non inficianda parentum,
Diluvio pueri, patrumq; cruore volutant.
En Martis ludos! en quo temeraria belli
Conſilia, ob noxam populos egere tyranni,
Per tantos æſtus belli, cladeſq;, viceſq;.
Vix ſupereſt urbis locus: & quæ mœnia robur
Ipſa ſuum mirata, polum petiere favilla.

Ergo

Ergo aliis fumasse Polottum flebile visum,
Pars lacrymis cineres Luci, gemituq; frequentat,
Fors quoq; post geniti sua fundamenta requirent
Vrbibus: & campis, ubi mœnia celsa fuere,
Pingue solum ignarus cum findet Moschus aratro,
Grandia priscorum rimabitur ossa virorum,
Et desolatas ululabit civibus urbes.
Hæc, Radivile, tui pars est præclara laboris,
Cui Rex Ductoris Litauûm concessit honores.

Aut quid inaccessas arces memorē, atq; fluentis
Armatas? te pertimuere Oseriscia tecta,
Quæ circumvectu lacus, atq; obeuntia cingunt
Æquora: bis septem præstanti robore turres
Porrexêre tibi famulas ulnasque, manusq;,
Quamvis innantes vastis in fluctibus, hostem
Despiciunt: sed quò non præsentissima virtus
Vsq; penetrauit? Socolinum mittis ad hostes
Druciaden, Moschi parent, arcemq; relinquunt
Invictam, jussisq; tuis haud mollibus adsunt.

Oseriscja arx in finibus Lituan. maxima, 14 turribus insanis & opere artificioso munita, ingenti lacu circumflua.

Aut quid piscosum referam accessisse triumphis
Vsvviatum, quem non vires, aciesq; Polonæ,
Diraq; terribili prorupta tonitrua ferro
Devicére, tuis, fortissime, colla catenis
Porrigit: ò quæ te, Princeps, tam læta tulerunt
Sæcula, qui monitis muros, urbesq; revincis!
Sed neq; tam pacem placidam, nec fœdera seruāt
Fors alii, quàm tu peragis sine sangvine bella.

Vswiat arx ad lacus piscosissimos quondā Ducatus Vitepscensis caput.

Non hyemes duræ, tempe statumq; potentes

 Non

Non labor ipſe viæ,non inclementia cœli
Vlla morabatur,populos in bella trahentem,
Aut firmas arces,aut agmina tota ruentem.
Quamvis eximiis meritis defuncta ſenectus,
Annorum ſerie, Martem prohiberet obire.
Nam ruit intereá ruit irrevocabilis hora,
Atq; ſubit tacito pede præcipitata ſenectus,
Viſa prius ſubitò,quam poſse venire putares.
Ille tamen felix,& terq; quaterq; beatus,
Sera dies quem non damnatum ignobilis otI
Invenit, meritisq; gravem, dignumq; ſenectá.
Sed licet hoc ævo tua ſit digniſsima vita,
Serior illa tamen tibi debuit eſse ſenectus.
At tu parce ſenex bello,fortiſsime parce.
Nam neq; iam Stephanus te, nam neq; patria feſsũ
Poſcebat tantæ bellorum pondera molis:
Sat patriæ,Regiq; tuo, Radivile, dediſti,
Dicebant cives, nam quid te præſide belli
Geſsimus,amplecti numero non poſsumus, & jam
Parce tibi,ſit jam tantorum meta laborum.

Radivili reſponſum illis qui iter Pleſcouiam diſsuadebant.

Vincit amor patriæ,nec perſvadetur amicis
Vocibus,&: procul hoc magni regnator Olympi
Aufer,ait,nec mî canentia lumina ſolvant
Otia, ſed moriar pugnando morte virorum
Millibus in mediis,ſalvis legionibus, aut me
In patriæ inventum curis mors corpore ſolvat.
O ego quàm felix,quantum ſolamen habebo,
Sic moriens! ne vos noſtris ne quæſo talentis

Conſulite:

Conſulite: his parcam, qui non mihi deniq; parco?
Vẽtum ad ſupremum eſt, ego multa viatica quærã?
Proînde aliis fulvi gazas ſuadete metalli,
Nos laudem præferre decet, patriæq; ſalutem.
Hæ mihi divitiæ, conchaq; nitentior omni
Gloria, ſola gravi prohibens torpere veterno.
Arma humeris, comites, quãcunq; tremẽtibus ævo,
Et pheretrum curru ſuprema reponite dona.

Ponite mihi uno in curru arma & pheretrum.

Ergo iterum Litavos in Martia bella fatigat,
Et Regem Stephanũ in Moſchos comitatur euntẽ,
Hic ubi Pleſcoviæ arx triná ſe ſubjicit arce,
Projectasq; procul turres, ad ſydera tollit,
Obice murorum, & duræ tutiſsima rupis,
ILmeniusq; lacus tacito agmine prænatat urbem.
Huc patrias, genus acrevirûm rapit ille catervas.

Ad Pleſcoviam Radivilus Litua: Exerc: Imperator.

Armãtur prompti pedites, equitumq; procellæ:
Qui Vilnam, qui culta tenent tua rura Cunaſse,
Et qui littora habent, quà Nerys conditur ingens
In vada Chrononis valles diffuſa per imas,
Et qui Trocorum campos, forteſq; Vitebas
Late habitant, qui ſunt Orſæ florentis in arvis,
Qui nemorum ſaltus denſos, agroſq; frequentant,
Quà Bereſina nitens prætexit arundine ripas,
Quoſq; vetus paſcit fortiſsima corda Polottus.
Qui priſcam Gartyna viri, quiq; æquora Minſci
Lata colunt, Lidamq; legunt, Vacamq; liquentem,
Erdivilonios & qui (gens Martia) campos,
Qui terras Mohilææ tuas, vicinaq; vertunt

Cunaſſus nunc Cauna. Wilia, Litva: Nerys.

Grodna, Gartyn olim.

Æquora,deſpectant & quos Orſanſcia tecta,
Atq; quaterdenis Ozeriſcia turribus audax,
Fluctus inacceſsam late hanc circumſonat undis.
Non ego tranſierim felicis mœnia Breſtæ,
Et priſcos tractus,& parvæ tecta Recitzæ.
Quos Homella viros alit,& quos Moſeris, & quos
Duratos pugnis belli videt Oſter amœnus.
Quid loquar Oſmenios populos? Laſtaya legentes
Littora,qui procul hinc flavi Nemenis ad altas
Rura colunt valles,Cobriniaq; æquora,pulchrum
Axiacenque bibunt,ubi ſunt pinguiſsima rura.
Egregiis paſcit quos agris Mſciſlaus,& quos
Vla viros,iam tum Moſchorum ſanguine inundās,
Oſsibus humanis campusq; Ivanſcius albens,
Keyſtutiq; necis Crevus veſtigia ſervans:
Slonimiiq; viri, Volcoviſcumq; colentes,
Et Ruſsi,& mortem haud metuentes Iazyges,olim — *Iazyges nūc Podlaßanie.*
Caniciem galeā premere,armis pectora ſueti.
Qui vitreæ valles exercent vomere Suentæ,
Et quos dives apum,& Cereris Samogetia miſit,
Volcomeræq; manus,nec non Braſlavia pubes.
Multæ præterea gentes,populiq; feroces,
Quos tunc Batthorheus magnā ditione regebat.
Sic volat alituum denſis exercitus alis,
Aëra per liquidum nantes,cum florida prata
Rimatæ,præter ſolitum dulcedine læti,
Gutture ovant,cantusq; exercent aëre crebros.
Sed Radiviliaden patriæ ſanctiſsimus ardor,
Tela

Tela inter media, atq; infestos detinet hostes.
Ille etiam quoties nox intempesta silebat,
Excubias egit senior, pro Rege, suisq;.
Passus & acre gelu, & spirantes frigora Cauros:
Hostica ne qua manus subitò se attolleret oris,
Incustoditos aditusve recluderet urbi.
O patriæ custos famá memorande perenni!
Ille per infestas nimbis hostilibus oras,
Deduxit tuto Regem, Litauosq; receptu.
Et jam Moschorum lento collisa duello,
Ante pedes Stephani jacuit miserabilis ora:
Qui Vilnæ invectus lætanti tecta triumpho,
Aurea condebat Lituanæ sæcula genti,
Aptabatq; pater signum immortale perenni
Vexillum famá, templi laquearibus aureîs,
Fœdere composito, victæ formidine gentis
Clauduntur belli portæ: mitescere priscis
Sæcula tum primum cœperunt aspera bellis.
Vt cum prospiciens orbis moderator ab alto
Vasta, supercilio ventos & temperat undas,
Æquora tuta silent, tanta est clementia cœli:
Sic, Rex magne, tuo pax est inventa labore.
En unquam placidam longo post tempore Pacem
(Quod nec spes patrum promitteret affore tẽpus)
Arva redonantem benepinguia vidimus: en jam
Bellorum antiquus cecidit fragor: optime Regum
Ore serenato fera sæcula tranquillasti!
Nulla tuum nobis ætas abolebit amorem.

Radivili vigilia & labores in ætate prope decursa.

REX Stephanus Moschos ad pacem petendam coëgit.

Bellũ Moschouiticum Iwani ferè 30. annis Lituaniam exercuit.

Magnus in æternum noſtrá celebrabere mente,
Donec erit Litauûm tellus, & Lacchia,donec
Ardeſcet priſco noſtrum Diadema metallo.
SED mihi principium Radivilus,deſinet illo
Muſa : quid Elyſiæ,mea maxima cura,puellæ,
Et pace & vitá Radivilus præſtitit omni?
Dicite quæ fuerit virtutis gratia ſanctæ.
Nicolai Radiwili ceteræ virtutes Togatæ. Aut quibus excoluit memorandis artibus ævum.
Inſtitit ille viam magno quæ ducit Olympo,
Vnica quæ ſuperat miſeris mortalibus uſquam
Immortale decus,laudum momenta ſecutus,
Egregium magnis nomen virtutibus æquans.
Religio puriſsima. Numinis ætherei vix hoc metuentior ullus,
Aut Evangelii cultor reverentior,ex quo
Priſca Fides iterum dignata inviſere terras.
Sic olim patres ævo vixere, malignum
Ante nefas,quos hæc Virgo direxit,& ante,
Impia Romuleum quàm gens venerata tyrannum.
In patriam Fides. Ille nec externis patriam divendidit auro
Regibus, aut dominum patriæ impoſuiſse potentẽ
Concupiit,victus donis,& victus opum vi.
Conſtantia in publicis rebus. Non illum vulgi levis inconſtantia traxit
Præcipitem,vitiis infandum obſeſsa, doliſq;
Curia : non patriæ natrix privata Cupido
Ambitione carebat. Abſtulit, Ambitio nec ſævá tabe peredit,
Ambitio legum & Regnorũ immane ſepulchrum,
Iuſtitiæ ne prius mirer, pacisńe beatæ
Pectus amans? Nunquam patrias in viſcera vires
Vertere

Vertere, nec voluit placida otia rumpere terris, *Pacis & cō fœderationis custos.*
Consvasitúe suis ciues concurrere signis,
Seditione leves: tempestatemq́ sonoram,
Æolus in nostris procul hinc quam miscuit agris,
Consiliis Heros, & sanctis distulit ausis.
Impia civilis nam sacramenta perosus
Militiæ, versasq́ manus in mutua bella:
Sed sanctum fœdus, iuramentumq́ tremendum
Erubuit, Litavis iubar immortale, decusq́.
Qualis honor mundi quando sub luce maligná,
Lucifer exoriens, humentes purpurat umbras
Plurimus, unde astri per nubes aura refulsit,
Aura lacessitos quæ montes verberat, & se
Insinuat penitus rebus, mundumq́ retexit.
Nec fixit precio leges, preciosúe refixit.
Imperiis illum Patriæ sanctissima cura
Egit, & eximium pectus formavit ad ungvem.
Ingenio haud vultu, potius bonus esse, videri
Quàm voluit: Regi fidus, nec conscius his qui *Regi & patriæ Fidus.*
Forte rebellare, quàm sunt bellare potentes. *Cæsura.*
Belli ingens, modicusq́ domi, semperq́ modestus.
Per varios usus mentem experientia doctam
Fecerat, haud sapiens in ferrea iura, nisi quod
Scire Senatorem par: & prudentia dextrá
Ingenti semper potior sibi dia sacratum *Prudentia insigni, disertus, & eloquens.*
Legerat hìc templum, coniunctaq́ Svada diserta:
Flexanimæ lingvæ præstans dulcedine, dictus
Flos delibutus populis, & pectora mulcens

Eloquio, tum conſiliis non futilis Auctor.
Nam cui naſcenti Sapientia lumine dextro,
Conſilium & lingvæ ſanctos aſpirat honores,
Ille regit dictis populos, fas omne, neſasq;
Diſcernit, verbis auguſta ſenacula mulcens.
Sarmatiæ ille foro cum dulcia ſolveret ora,
Nec vox illa hominem, nec lingva diſerta ſonabat,
Orabat Pylias ęquans dicendo loquelas.
Pondere conſilii, & nitidę dulcedine lingvæ
Sæpe reluctantis ducebat corda Senatus.
Nec tamen ille DIES RERVM per verba terebat,
Dicere conſilium non contradicere ſvetus.

Privati commodi negligens.

Quid loquar, ut tua te nunquā, ſed publica gētis
Commoda moverunt? ut magno urgente tumultu,

Regi Augusto dono dedit 800. minas argenti.

Regificum menſis Argenti pondus, & aurum,
Arte laboratas lances, catinosq;, ſimulq;
Crateras longo cęlatos argumento,
Et chriſendeta, depictosq; lebethas acantho,
Arabiumq; decus ſignis extantibus ingens,
Auguſto dederis contentus ſimplice menſá.
Vicino facilis, non fraus innexa clienti.

Lucri, quod in omni Senatore turpiſsimum, cōtemptor.

Non lucro, quod vel Saturno Rege placebat,
Inſanus, fas atq; neſas inamabile vertit.
Quales nunc homines aulæ mala pabula gignunt,
Palantesq; procul recto de tramite pellunt.
Atq; Themiſtocli miratus præmia palmæ,
Scipiadasq; duos, everſoremq; Latini
Nominis Hannibalem, priſcorum geſta parentum

Rettulit

Rettulit, invidiæ livor teſtabitur ipſe,
Æquatas paciſq; artes, belliq́; labores.
Vtq; ſub adverſis rerum immerſabilis undis,
Experta eſt latis audax Moſchovia terris,
Atq; triumphatæ Volgę ſub littore gentes,
Cum pater eximium factis, dextraq; potentem
CHRISTOPHORũ ſobolẽ præclarã immitteret hoſti.
Nate, parentis honor, quò te tua fervida virtus
Incitat, i factis fer nos trans littora Volgę.
Conſiliis pectus, virtus ſpectata per arma,
Per varios æſtus belli tolerantia rerum,
In dulci patriá pietas, in milite cura
Iúſtitiæ, partiſq; modeſtia clara triumphis,
Pacis Amor bello ſolá pro pace recepto
Apparet: neq; enim, Ductor fortiſsime, bellum
Geſsiſti, niſi ne fierent immania bella.
Tũ quoq; cũ gremio populos pax alma foueret,
Hoc agitabat opus, patriæ quod profore credat.
Tempeſtate procul veluti non ſegnis arator,
Plurima maturat cœlo properanda ſereno,
Vomeris aut dentem cudit, vel flectit aratrum,
Aut igni torret fruges, aut alite ſaxo
Frãgit, & ante memor certo ordine cũcta reponit.
Quid moror? in cõmune bonus quæſivit amari,
Nullius in fraudem, cunctis prodeſſe paratus.
Ille nec oppreſsit violentá lege clientem,
Nec dulces agros patrii monimenta laboris,
Eripuit Litvano Equiti, mitiſsimus Heros.

Belli domiq; clariſs.

Nico: Filius Christophorus Radiuilus Moſchouiam longè lateq; funeſtauit.

Pacis amãs

Omnibus clemens & benignus.

Mitis ut pater erat.

Externiq;

Externiq; etiam dextram ſenſere benignam.
Non oſtentator: veluti Sol aureus exit
Arce poli ſummá, tenues nec duplicat umbras:
Sic tibi conſcia mens fuerat præluſtre theatrum.

Sol quo alti or hoc mino res umbras habet.

Ah mea quod meritis ſunt ora minora ſacrati
Herois: quid ego tam longa exorſa ſecutus,
Enumerare velim laudatos Principis actus?
Non ſi me revirens iterum Parnaſsia templis
Centũ agitet, lauruſq; ſacras, & Hyãthida lympham
Sufficiat, totidemq; animos inſpiret abunde,
Gesta viri Aſcręo melius meditanda cothurno
Exequar: amplecti ſed qui velit omnia cantu,
Littore Cyniphio citius numerarit arenam,
Carpatias ve niues, & divite Gargara gleba.
Haud tamẽ interpres laudũ pulcherrima Fama
Linquet inoratos, nec laus ſyncera labores.
Te patrię benefacta imis infixa medullis
Hinc iam defendent ullis aboleſcere ſeclis,
Nec tot ſuſceptos nocteſq;, dieſq; labores,
Totq; ſuper magnos auſus, tot bella, tot enſes,
Hauſerit una dies: ipſo cum tempore viuent.
Vt Porphyriacá præſtans de rupe columna,
Aut Amathuntęo, Paphioúe refuſa metallo,
Dędalei moles operis, cum ſiſtitur arce
Ornamentum ingens Capitoli: denſa iuventus
Circumfuſa ruit, ſtatuamq; attollit opum vi:
Illa Polum ſcandens ſemel vt caput intulit aſtris,
Fert æterna ſitu longinquo robur ab ævo,

Non

Non profecturos Austros & fulmina spernit.
Et jam bis septem quiquennia vixerat, atque
Addiderat binos exactis mensibus annos,
Iam dudum nobis invidit Regia cœli
Heroëm, mirata hominum curare triumphos,
Advenit tandem lux acceptissima semper
Nicoleo, Litauis tristissima: namq; sorores
Pollice fatali iam fila extrema legebant,
Argutáq; manu ruperunt stamina fusi.
O dolor! ô vulnus perculsis civibus ingens!
Debuerat longum esse tuis virtutibus ævum,
Dux Radiviliade: sed ineluctabile tempus,
Optima quæq; rapit: nec matutina senectus
Vt diuturnus eas per tot benefacta pepercit.
Nempe etiam cervis, nempe alitibusq́, ferisq́,
Longior annorum series conceditur: vni
Vni hominum generi tanta est injuria vitæ.
Heu fragiles hominum vitas, ah ferrea iura!
An fragiles hominum vitæ? num ferrea fata,
Nescia flebilibus mansuescere fata querelis?
Ferrea fata, sed et vitæ fragilesq́, brevesq́.
Ventum ad supremū est: non te tua plurima virtus
Eripuit fatis haud inficianda perenni
Tempore, nec sævæ pietas indebita morti.
Iniecére manus parcæ: mors spicula plebis
Sanguine jam dudum frustra indignata perire,
Direxit certo iaculum lethale tenore,
In Radiviliaden, quod nec merita vlla, nec olim

Radiuilus annos 72. vixit, moritur 1584.

Curriculū vitæ exiguis terminis circumscriptum.

Vitarunt ſacri Reges, ſangvisq; Deorum
Ille velut moribundus olor canentia pallens
Lumina claudebat, dulci defecta calore,
Laſſaq; marmorea iam iam cervice fluebant
Colla: quid avditum toties mirante Senatu
Os memorem? penitus palleſcens morte futura.
Cum tremebunda ſenex ad ſydera lumina tollens,
Atq; arces, atq; aſtra Dei ſine fine vocabat,
Pro patria, pro Rege, onerabat ſydera votis:
Nico. Radivili morituri Oratio ad Deum.
O Pater æquævæ Sobolis, qui ſydera nutu
Ardua, telluremq; tua ditione gubernas,
Es bonus, haud ſenſum, famamûe fovemus inanẽ,
Accipito hunc animum, meque hoc exolve labore,
Da deinde egregium decus, æternamq; Salutem,
Quã niſi das tu, nulla dabit ſpes divûm, hominũûe.
Vixi, & quos dederas curſus hucusq; peregi,
Defendi patriam, pœnas ex hoſte recepi,
Et nunc linquo libens curas, hominumq; labores.
At tu magne Parens, Litavos miſerate, potenti
Annue Littaviæ ſceptrum, laudemq;, decusq;.
Hæc ait, & toto ceſſerunt corpore ſenſus:
O dolor, ò noſtrum decus! ut te fata tulére,
Occidit omne decus nobis, penitusq; tumultus,
Et civile nefas, fraudes dominantur acerbæ,
Cognatæ inter ſe polluto fœdere gentes
Concurrunt, victæ leges, Diſcordia demens
Regnat, & illicitis ſævit Mars impius armis,
In patriam cives armant ſua tela, ſuisq;
Debellare

Debellare parant (heu secla!) furoribus æuum.
Vltima Sauromatas Concordia Diva reliquit,
Et priscus Candor, Pietas devicta, Fidesq;.
In quorum uenere locum portenta peregré,
Insidiæ, fraudesq;, & vis malesuada, Doliq;.
Conspirasse putes omnes, ita regnat Erinnys.

In Sarmatia nunc magna dißidiorum semina

Tēpore quanquā illo fluctus quoq; certa futuri
Signa dabant luctus: nam gurgite Vilia flavo,
Saxosumq; sonans Vilna impleuere querelis
Vicinos montes, ripas, nemorumq; recessus.
Illi etiam extincto miserati Principe Vilnam,
Increvére sacri lacrymis & luctibus amnes,
Littoraq; insolitis mœsti planxére querelis.
Vilia spumifero convolvens vortice sylvas,
Cum domibus ripas, & montes hausit apertos,
Impiaq; insanos timuerunt mœnia fluctus.

Ante obitū Nicolai Radivili Vilia increvit, et magnā stragem ædificiorum ac sylvarū fecit.

Tunc quoq; inexpletū lacrymās mœstissima Vilna,
Saxa per & lapides, ah lamentabile murmur
Edebat, sine fine gemens, laceransq; capillos,
Inferias Radivile tibi, profusaq; morti
Munera, ab vberibus manarunt flumina ocellis.
Illam etiam perhibent totos ex ordine Soles,
Monte sub aërio celsa ad monumenta Becessi
Flevisse, & lacrymis inconsolabile vulnus
Dum mœret, penitus corpus tenuasse liquore.
Nunc quoq; Viliacas quà vix prorepit in undas
Arida, conseruat priscæ vestigia cladis.

Duorū Bekeßiorū fratrum sepulchrum, & turricula in altißimo supercilio montis ad Vilnam.

At teneræ Nimphæ, ſylvatica numina, quæq;
Centum habitant ſylvas, centeni fontis alumnæ,
Ter quater extinctum Radivilum voce vocarunt,
Ter quater amiſsum, nec te Radivile repertum,
Ingemuere nimis, picturatasq; corollas
Diripuiſse ferunt, & depopulaſse capillos,
Indignumq; caput ſaxis planxiſse pereſis,
Halcyonum lamenta Deas, cygnosq; ſequentes,
Atq; hyali veſtes ſaturas laceraſse colore.
Flerunt & montes, flerunt & triſtia buſta
Sanctorogi, geminæq; arces, atq; ardua Turi,
Altaq; ſylvarum & Litauûm Mavortia tellus.
Auia longa ſonant, & per ſua confraga longæ
Reſponſant ripæ, vocesq; ſub æthera iactant
Cum villis nemora: hev bonus ille, bonus fuit ille.
Quale decus Troiæ fuit Hector in arce Scamãdri,
Graja premẽs ratibus cũ impingeret agmina celſis,
Et patriæ vellet properantia flectere fata:
Qualis amor Romę, referens pia ſigna Camillus,
Cum Brennus quatiens CapitolI immobile ſaxum,
Sanguine Romanum victus perſolveret aurum:
Tale decus nobis Radivilus, maximus armis,
Maximus arte togæ, lux & decus omne ſuorum.
Litvania deflevit mortem Nico: Radivi: Patris Patriæ.
Ah quoties lacrymas, quoties Lituania ſparſit,
Et conclamavit triſtes ſine fine querelas,
Marmore funeſto genitus ſignavit, & AIAI.
Inſcripſit: Quis te noſtris complexibus arcet,
O Radi-

O Radivile? ita nos pater ò pater optime linquis?
Purpureis veluti modulans Philomela rosetis,
Quam pullescenti viduavit prole repertam
Caprigeni pecoris custos, hæc flebile carmen
Sæpius instaurans gemit insolabile vulnus.
Pampineáue sedens lugubris acanthis in umbrá
Concinit, unde Itylo Itylo nemus omne resultat.
Raduillum populi, Raduillum Rexq́ꝫ, Patresq́ꝫ,
Raduillum Litauæ referebat nnomine gentes.
Quid facerent? aut quo rerum tabularia pacto
Fixa morarentur duro fundata basalte?
Quoue modo retinere queant, excelsa viarum
Cœlo affectantem, superumq́ꝫ ad limen euntem?
Ast illum sancti Fratres, divina propago,
Ætherei sensus, quibus est cœlestis origo,
Excepere virum cœtu lætante, simulq́ꝫ
Concilium in medium ducunt, ubi celsa tonantis
Regia ab Vraniis fulget distincta smaragdis.
Hìc illi propius, propiusq́ꝫ resultat imago
Trina Dei, sed idemq́ꝫ & inenarrabile numen
Omnipotens, circum innumeri populiq́ꝫ, choriq́ꝫ
Densantur, nullis obnoxia semina membris
Terrenæ sortis, vigor immortalis, honosq́ꝫ,
Nec mortale sonant votum, cantuq́ꝫ perenni
Adsunt, æternumq́ꝫ Dei meditantur honorem.
Felices animi, mundi melioris alumni:
Annuit hunc cœtum Radivilo Rector Olympi.

Nic: Rad: tot laboribus exhaustis Regno cœlesti potitus est.

Tum postliminio suscepit Olympia Virgo,
Cana Fides animam reducem, gremioq; reponit,
Ore renarrantem ingentes quos passa labores.
Et nunc ille colens aurati sydera cœli,
Inter adorantes animas, oblitus acerbi
Temporis, ambrosiáq; animatus mente, triumphat
Æternùm, Christi meritis invectus Olympo.
Atq; poli campis latus exporrectus amœnis,
Floribus æternis cœlestes libat odores,
Lætitiamq; hilarat per mille canoribus hymnos.
Exuperansq; mali properanda pericula mundi,
Exuuias liquit nobis, populataq; letho,
Et nunquam defleta satis frigentia membra.
Parte sui potiore viget, maiorq; videtur
Cœlesti portu, sanctá gravitate verendus.
Phœnix se-se reseminat. Vtq; novam meditans Phœnix post funera vitã,
Matutina rubens ubi Sol accendit amœna,
Arabiam scandit nutante cacumine palmam,
Tum casiam imponens, calituraq; cynnama nido,
Et liquidam stacten, fragmentaq; ramea turis,
Atq; coloratos nardi super addit honores,
Luxuriemq; soli: tandem languore peresus,
Subtrahitur terrá, membrisq; haud inscius æstum
Accipit æthereum, iamq; igne medullitùs acri
Estur, & auricomum sese ipse reseminat ales,
Scintillatq; decens misto spadicis honore.
Corpore sic postquam Radiuilus liber, in arces
Sydereas

Sydereas abiit:ſoboles dignisſima tanti
Herois,patriſq; viam,patrioſq; labores
Affectans,Litavos ornat viſenda : ſed alter
Nicoleos tantum nobis oſtenſus : haberes
Magnã opere in tãto(ſineret dolor) optime partẽ.
Vnica ſpes Litauûm ſupereſt,ingenſq; columna
CHRISTOPHORVS,qui per tẽplũ VIRTVTIS,HONORIS
Ingreſsus ſacros adytus,& præmia celſa.
Quẽ nunc & Moſchi,quẽ nunc & Volga tremiſcit,
Corpore cæruleo mœrens, jam non ſemel acris
Faſsa viri laudes,famulas & porrigit ulnas,
Pleſcouiæq; lacus,mollisq; Boryſthenis amnis,
Smolenſcumq́; vocat,diveſq; Severia poſcit
Auxilium, Deus hæc illi præclara trophæa
Deſtinat : & patriæ veneratur maxima tellus,
Dum ſua per populos reddit conſulta faventes,
Res Litavas armis tutatur,legibus ornat.
O maris,ò terræ,cœliq́;,hominumq́; repertor,
Qui regis & terras,operoſaq́; ſydera torques,
Quem te porta tonat cœli,& teſtatur Olympus
Æternum famá,ſtudium cui Regna tueri:
Sis fortunatus poſthac, ſtantemq́; columnam,
Proruere haud permitte, ſimul concede benignus,
Chriſtophorum ſaltem rebus ſuccurrere lapſis,
Conſulere huic ſummæ rerum,populoq; potenti.
Fallor? an hæc nubes nigro ſe tollit ab alto:
An terræ,adnamus? ſalve gratiſsima tellus,
Conſita

Nicolai Radiuili Pala: Vilneñ. duo filii.
Nicolaus Pal: Nouogrode: Magni conſilij Princeps, obijt.
Chriſtophorus Radi: Paterno honori ſucceſſit.

Conſita Hyanthæis legimus freta plurima terris,
Aoniaq; diu remos lentavimus unda.
Ecce inventa quies: rareſcunt littoris undæ,
Ac propius ripæ fidis allabimur oris.
Et jam feſsa ratis, pelagoq; exercita prono,
Ritè coronatá lætans ſubit oſtia prorá.

FINIS RADIVILIADIS.

ORATIO FVNEBRIS IN LAVDEM ILLVSTRISS: PRINCIpis, Nicolai Radiuili Ducis in Dubinki ac Birze, Palatini Vilneñ: & exercituũ Magni Ducatus Lituaniæ ſupremi præfecti, Vilnæ defuncti 27 die Aprilis, Anno 1584. ab ANDREA VOLANO. conſcripta.

SI in omnibus Rebuspub: benè moratis, beneꝗ inſtitutis hic mos fuit ſemper obſeruatus, vt viros illuſtres, & de patria optimè meritos ex hac vita excedentes, publico laudum præconio nobilitarent, hocꝗ quaſi debitum virtuti præmium illis tribuerent, ne mihi quidem in obitu & hoc funere viri clariſsimi Nicolai Radiuili tacendum eſſe putaui, & quam virtus eius meretur laudem, hac ipſum afficere non dubitaui. Ad hoc verò præſtandum ac perſolvendum debitum illi officium, cum multæ me permoueant cauſę, vel ſola tamen beneficiorum eius memoria, quæ in me alumnum ſuum ad extremum vſꝗ vitæ finem conferre non deſtitit, hoc à me requirit, vt hoc poſtremum obſeruantiæ meæ ſtudium nomini illius declarem, & cum fatum illius me alio iam munere meritorum defungi non ſinit, hoc ſaltem vocis meæ officio memoriam illius proſequar. Quamvis autem ita natura comparatum eſt, vt ad præclaram nominis laudem conſequendam, in ſola virtute ſatis cuiꝗ homini præſidij ſit conſtitutum, ipſa experientia tamen edocet omnes, nobilitati & clariſsimorum natalium ſplendori ita fauere omnes, vt quibus fato divinæ prouidentiæ eximia generis dignitas tributa eſt, neſcio quid præclarum ab illis homines expectent, & magnopere ſuſpiciendos iudicent. Ea nimirum in mentibus hominum opinio hæret, non

nisi bonos ex bonis nasci: & in quorum gente longa annorum serie multa virtutum exempla, edita fuerunt, ea tanquam hæreditario iure in posteros promanare. Inter plurimas autem virtutum species, quæ homines exornant, & ex tenebris erutos in clarissima luce constituunt, fortitudo inprimis bellica, iustitia ac liberalitas, magnam omnium hominum admirationem commouent, vt quos his virtutibus decoratos conspiciunt, eos potissimum laudibus in cœlum ferant, & tanquã terrestria quædam numina admirentur. Sed neq; hæ magnis opibus destitutæ, rectè munus suum exequi, nec tenuis fortunæ homines id efficere facilè possunt, vt studio earum virtutum eniteant, & aliquem dignitatis splendorem obtineant. Non immeritò itaq; summus Philosophus Nobilitatem in antiquis opibus, & virtute sitam esse demonstrat, id nimirum volens, eos verè nobiles ac illustres censeri, qui avitam maiorum gloriam retinent, magnisq; opibus ac virtute simul instructi, & inuicta quadam animi magnitudine, pericula à Repub. propulsant, & magnis beneficiis in homines egentes conferendis, liberalitatem exercent. In hac autem familia clarissimum hunc virum, cui nunc suprema celebramus officia, nasci contigit, quæ quidem per multa sæcula in hac gente Lituana antiquas possidens opes, eas non in luxuriæ instrumenta, non ad opprimendos inopes effudit, sed in bellicos apparatus, quandocunq; id vsus Reipub. exposceret, & ad plurimos homines ditandos, sumtisq; omnibus beneficijs afficiendos, liberalissimè semper contulit. Itaq; tantarum admiratio virtutum, tantusq; gentis honos, ipsos etiam Romanorum Imperatores perpulit, ut hãc familiam Ducali dignitate exornandam, & inter Principes Imperij collocandam censerent. Ipsi quidem magni huius Ducatus Lituaniæ Principes, tantum honoris huic præclarę genti semper detulerunt, vt in amplissimum dignitatis fastigium evecti, nunquam non Provinciarum præsides, Castellani, Palatini, bellique Duces & Imperatores conspecti fuerint Radiuilli. Parens certe huius defuncti Georgius Radiuilus, & Castellanus simul Vilnensis, & exercituum supremus Dux à diuo

illo

75

Illo Rege Sigismundo primo creatus, tam fortem ac fidelem & Regi & Reipub. nauauit operam, ut perpetuos huic Imperio hostes tam Moscos quàm Scythas multoties domaret, à magnoq; metu ac periculo patriam sæpè liberaret. Successit in locum fortissimi parentis, acer ac strenuus hic filius, tam egregijs omnibus animi & corporis dotibus exornatus, ut ad omnes virtutes, omniaq; ornamenta, quæ quidem in hominem cadere possunt, hunc natura finxisse videretur.

Ipsa quidem oris ac totius corporis venustas, facies multo sanguine ac rubore suffusa, nullum terrorem ac tristitiam præ se ferens, sed magnam contra hilaritatem, summamq; humanitatem ostentans, ad mutuum quendam convictum omnes allicere, magnumq; bonorum omnium amorem illi conciliare videbatur. Nec verò ille minaci aut superbo vultu quenquam perterruit, non ullo asperiori verbo vel iratus notauit, ut famuli etiam omnes, quos semper habuit numerosissimos, non cum Domino, sed cum amico semper vitam se agere sentirent. Itaq; ex nobilissimis familijs iuvenes huius famulitio sese astringere, huic potissimum inseruire exoptabant, magna ingenij suauitate, magna morum dexteritate, insigniq; eius liberalitate permoti. Nec verò quenquam famulatus sui pœnituit, ita hoc omnes eorum fortunas promouente, ita ingenium & mores excolente, ut ex eius disciplina tanquam ex Schola in aulam Regiam traditi, multi nunc dignitate summa, opibusq; florere, & in ordinem Senatoriũ asciti, munus illud egregiè sustinere iudicentur. Hæc verò virtutum decora, & omnis vitæ cultus eximia ornamenta, facilè persuaserunt Sigismundo Augusto, ut hunc iuvenem, his primum dignitatibus, quas illa postulabat ætas, exornaret, & quæ illi aditum ad suprema huius provinciæ capessenda munera patefacerent. factus ergo est Magni huius Ducatus pocillator, & venationum Regiarũ omnium præfectus: quæ quidem munera tanta dexteritate administrauit, ut mensæ quidem Regiæ ministrans, sermone illo facundo, multoq; semper sale ac lepore condito, Principem oblectaret, & in venationibus immanes ac feroces belluas

perſequens, animi fortis & intrepidi in eis iugulandis in conſpectu Principis illuſtre ſpecimen ſæpè exhiberet. Nulli ergo Princeps magis confidere, non quenquam tutius lateri ſuo adhibere: ut ubi maximum à bellua immineret periculum, illic hunc fortem fidumq; Achatem, comitem aſciſceret. Hoc verò tanto animi eius robore, magnoq; præterea mentis iudicio Princeps perſpecto, & moderandi totius exercitus Lituanici habenas illi commiſit, & in ordinem Senatoriū, Palatino Trocenſi creato, illum aſciuit, ut nimirum & in bellicis & in civilibus officijs ſumma hominis vigeret induſtria. Nec verò ſpem de ſe non temerè conceptam Regis fefellit, tanta prudentia, tantaq; animi fortitudine utrumq; munus adminiſtrans, ut fortiorne Imperator an prudentior fuerit Senator, in dubio reliquerit. Sed de pacis artibus ne quid dicam, cum quod fuerit eius ingenium, artibus etiam bonis egregiè excultum, cum incredibili quadam facundia, & ſummo in patriam amore coniunctum, optimè omnes noveritis, pauca de militię eius labore Imperatorioq; munere commemorabo. Incidit in noſtra hæc tempora cum Ioanne Baſilide Moſchorum Tyranno crudele hoc & exitioſum bellum, quo ille magnam Lituanię partem ditioni ſuę ſubiugatam, tanto terrore vniuerſam hanc impleuerat terram, ut exiguam ferè ſalutis ſpem illi relinqueret, ipſe vero totius potiundę non dubiam ſpem ſibi faceret. Liuoniam quidem continuis bellis attritam, & omnibus viribus ac opibus exhauſtam, iam ita ſuam effecerat, ut niſi divina quædam Principis noſtri, & Regis fortiſsimi Stephani virtus, eum de poſseſione illius deturbaret, perpetuum forſan ſervitutis iugum ſuſtinere cogeretur. Tantæ autem cladis tantæq; ruinæ, non aliam cauſam aſsignare poſſumus, niſi quod prior Princeps tam remiſsè tamq; negligenter hoc bellum ductaret, ut occaſionem ſuam ubiq; hoſti traderet, & ſuæ ſemper ferè defuiſſet. In hac verò deſperatione rerum omnium una Radiuili virtus, ſummaq; fortitudo, afflictam hanc Rempub. ſuſtinuit, & ne extrema internecione deleretur, fortem ac fidelem ſemper operam adhibuit. Nam dum abſens Princeps alijs ſtudijs

occupatur,

occupatur, ita huic totius belli gerendi rationes committit, ut nunquam iusto exercitu alioqꝫ apparatu bellico instructum, imparem semper tanto hosti opponat, & numerosissimo militum numero stipato, impunè vastare agros, arces & urbes occupare permittat. At verò Radiuilus, qui animum ab omni auaritia alienum semper habuit, nullis hic sumptibus parcere decreuit, & magno rei domesticæ dispendio, egregium semper ac splendidum equitatum instruxit, vt ad Regias adiunctas copias, hoc robore virium hostem perterrefaceret, & prælium ubivis acer ac intrepidus cum eo capesseret. Itaqꝫ hoste magna iam Livoniæ parte potito, & liberè per omnem regionem vagante, ferroqꝫ ac flammis cuncta vastante, ipse in intimam penetrat Liuoniam, & in hostis conspectu ad arcem Tervestã castra locat, ac ut hostem in pugnam eliciat, arcem oppugnat. sed dum in dubiam belli aleam hostis descendere recusat, nullumqꝫ pugnæ locum usquam nostris adequitantibus dat, arx ipsa expugnatur, flammæqꝫ & incendio traditur. Ac magnæ quidem tum in Livoniam, omniqꝫ apparatu bellico instructissimæ Polonorum Duce Zebridovio submissę fuerant à Rege copiæ, sed dum procul dissitæ morantur, & sub incommodum autumni tempus adventant, ab omni rerum bene gerendarum occasione excluduntur. Ac reliquo deinde omni tempore, ita frigidè hoc bellum à nostris gestum est, vt hosti Polociæ capiendæ facultas concessa, latissimam toti deinde Lituaniæ occupandæ viam patefecisse videretur. Nec vero iam alia hostis consilia, quam de invadenda tota Lituania capere, vt totam terram Ducibus suis descriptam, iam devastandam committeret, & omni terrore belli opprimendam, omnibusqꝫ cladibus afficiendam demandaret. Educit ergo ingentes Polociã Dux belli Suiscus copias, ut cum valido altero coniunctas exercitu, quem ductabat Srebrenius, quamprimum in Lituaniam transferet, totumqꝫ belli impetum in eam effunderet. Sed non ignarus omnium hostis consiliorum Dux Radiuilus, subitò hosti occurrit, eumqꝫ à socio Srebrenio intercludit. Tanto verò astu rem totam molitur, ut per exploratorem, qui

 se Suisco

se Suisco amicum simulat, de exiguis Lituanorum aduentantibus copijs eum edoceat, ipsum verò Radiuilum procul abesse ostendat. At verò dum ex syluis in apertum prodit Radiuilus, & copias suas explicat, magno terrore perculsus Suiscus animum despondit, nec de prælio capessendo cum tam forti, ac perito belli Duce, sed de fuga cogitat. Ipse verò quo tum animi ardore, quo vultu conspectus fuerit Radiuilus, nihil audientibus vobis commemorare attinet, quando qui tum affuistis, & aciem instruentem spectastis, divinoq; illo ore ad bellicam virtutem milites inflammantem audistis, indubiam victoriam animo, certaq; spe perciperetis. Fusus ergo est ab exiguo exercitu nostro numerosissimus hostium numerus, cæsus & ipse Imperator Suiscus, capti Nobilissimi Duces, & omnis opulenta præda in manus nostrorum concessit. Nec verò Srebrenius ad famam tantæ cladis diutius in statione sua sibi cōmorandum ratus, subitò cum omni exercitu se in fugam proripit, castraq; omni præda, & commeatu onusta diripienda militi nostro relinquit. Illa primum lux per te Radiuile afflictæ & penè desperabundæ Lituaniæ fuit oblata, ut te patrem patriæ rectæ tunc vocatum, nunc meritò deploret, nomenq; tuum immortalitati consecret. Et profectò fœlici illa victoriá, tunc primum feroces hostis crudelissimi Spiritus infregisti, totamq; spem occupandæ in posterum Lituaniæ illi ademisti. His verò tantis præclari viri in Rempub, meritis permotus Rex Augustus, dum in fata concedit magnus ille alter Radiuilus, Vilneñ. Palatinus, & Magni huius Ducatus Lituaniæ Cancellarius, omnibus his dignitatum muneribus hūc patruelem eius exornat, illiq; successorem in Palatinatu Vilnensi, & officio Cancellarij designat: Imperatorium autem munus, quo hic se ultro abdicat, Gregorio Chodkieuicio Vilneñ. Castellano committit. Sed fatalis belli Moscici Dux Rex Stephanus, ad moderandum Regni clauum diuinitus electus, Chodkieuicio morte sublato, Radivilum denuo ad capessendū Imperatoris munus sollicitat, causantēq; ætatē, & affectas in corpore senili vires, tandē precibus expugnat. Iā verò Moscus

77

rò Moſcus tota ferè Livonia potitus, in vicinam Lituaniam proſpectabat, magnoq; rurſus pavore illi iniecto, metu penè omnes huius prouinciæ incolas exanimauerat. At nihil reſtare videbatur, niſi ut Duna flumine traiecto, quod reliquum erat Liuoniæ, id poteſtatis ſuæ faceret, ac porro ſub ipſa Vilnæ mœnia victricem exercitum admoveret. Colligit ergo tumultuarias Dux Radiuilus copias, & in Curoniam excurrit, ac ut ab extremo interitu Liuoniam vindicet, ipſe in aduerſam ripam, extremo iam æſtatis tempore copias transfert. Moſcus verò cum validiſsimo exercitu, & ingenti apparatu bellico, ad famam Radiuili aduentantis, & exigua manu toties numeroſiſsimas eius copias profligantis, retrò cedit, magnaq; cū trepidatione ex Liuonia excedit. Verum ingentibus præſidiis in omnibus arcibus ab hoſte conſtitutis, tam triſtis totius Liuoniæ facies videbatur, ut nulla ferè ſpes libertatis priſtinæ recuperandæ oſtenderetur, perpetuoq; ſervitutis iugo opprimenda conſpiceretur. Effecit tamen anno ſequenti ſolers Radiuili induſtria, ut dum in Liuoniam excurreret, Ducem Magnum Daniæ Regulum, qui gener Principis Moſchorum effectus, auſpiciis eius in Liuonia militabat, magnamq; huius prouinciæ partem varijs technis occuparat, in ſocietatem Regis noſtri pertraheret, & à perfida Moſci amicitia alienaret. Ibi verò quaſcunq; copias Regis offendit, eas in vnum locum contrahit, ac per internuncios conſilia cum Imperatore Regis Sueciæ communicat, deq; hoſte inuadendo magnis tunc viribus oppugnante Vendenam, conſilium init. Præfecit autem ſummæ rerum acrem ac impigrum iuvenem Andream Sapieham, cui Dembinium, & Albertum Oborſcium centuriones belli peritos, & milites fortiſsimos adiungit, ac porrò omnem prælij cum hoſte committendi rationem edocet.

Qui quidem cum copijs Regis Sueciæ coniuncti, tanta ſtrage exercitum hoſtilem affecerunt, tamq; inſignem victoriam de Moſcho reportarunt, vt omnibus eius copijs diſsipatis ac penè deletis, tormenta etiam bellica, arte ac magnitudine ſtupenda, Regi noſtro in prædam tradiderint. Rex quidem

hac victo-

hac victoria lætus, totam Radivilo acceptam tulit, & pro tam fœlicibus avspicijs, egregiaq; navata operâ ingentes per literas gratias egit. Ex illo iam verò tempore res Moschorum fluere, ac retrò sublapsa referri cœpit, donec tandem ipse fortissimus Princeps Stephanus terna expeditione in Moschoviam suscepta, ad eas Moschum redegit angustias, ut Polocia recuperata, & omnibus arcibus, quas in toto Polocensi tractu ille extruxerat, occupatis, plurimisq; Moscis Litvaniæ adiectis, tota insuper Livonia cedere eum coegerit. In his autem Regijs expeditionibus, magna ubiq; fides, magnaq; industria Radivili fuit Regi perspectissima, tanta autem apud hostem autoritas, ut Polociam primum præsidiarij Mosci, ac deinde Ozeriscos illi dederent, vitamq; ac salutem suam illi concrederent.

Quamuis autem Rex, dum vltimam in Moscoviam expeditionem suscipit, eum benignè admonet, vt sibi parcat, illoq; militiæ labore, & senex, & valetudinarius supersedeat, ille tamen non alibi extremum spiritum se iucundius exhalaturum, quàm in castris respondet, nihilq; tupius sibi accidere posse dicit, quàm vt principe suo militiæ munus fortiter obeunte, ille domi resideat, & ocio contabescat. Itaq; non gravis ætas, non afflictæ vires illi obstiterunt, quin sedulo boni imperatoris officio vbiq; fungeretur, excubias etiam in longissimis noctibus, & grauissimis frigoribus ipse ageret, eoq; tolerantiæ exemplo iuniores æmulatione accenderet. Illa tamen intensissima frigorum vis, & in solitudinibus vastis magna rerum inopia, longiq; itineris graues molestiæ, ita ad extremum hominem debilitarunt, vt omnibus propemodum membris captus, tandem ad vltimum vsq; vitæ finem nunquã sibi fuerit restitutus.

Peropportunè autem accidit, vt dum fatum vrget, ipseq; mortem sibi instantem animadvertit, Regi tamen suo, quem summa semper observantia coluit, extremam valedicendi facultatem habere potuerit. Itaq; dum hoc tempore Rex Vilna discedit, ipse in currum conscendens, ante vrbem eum præstolatur,

78

ſtolatur, appropinquantiq́ obuiam procedit, ac longa & luculenta oratione, inter cætera auditu iucunda, eum ad debitum amoris fideiq́ patriæ ſuæ præſtandum officium adhortatur, gentemq́ vniuerſam Lituanam illi commendat, & obnixe ab eo petit, ut quam eximia illorum meretur fides, & ſumma in Principem ſuum obſeruantia, hanc illis declarare gratiam pergat, Grata fuit Principi prudentiſsimo pij ſenis pro patria ſua ſollicitudo, ita ut & vultu benigno hominem audiret, & prolixe omnia ſe ea facturum, quæ bonum decent Principem, ipſi reciperet. Ille verò domum reverſus, ut extremum patriæ penſum perſoluat, ad omnes Senatores, qui tum honoris cauſa eum adierant, ſermonem convertit, eosq́ obſecrat, ut quem amorem, quam fidem patriæ ſuæ debent, hanc perpetuam illi declarent, & in hac fragili caducaq́ vita nihil magis ſtudeant, quàm ut egregijs in Rempub. meritis, immortale ſuum nomen ad omnem poſteritatem transmittant.

Converſus deinde ad animam curandam, Paſtorem Eccleſiæ accerſit, ad eiusq́ concionem, alto cum lacrymis trahens ſuſpiria corde, & peccata ſua deflet, & in unico ac ſolo mortis Chriſti Sacrificio totā ſalutis ſibi repoſitam ſpem cum ſumma fiducia teſtatur. Nec alius ad extremum usq́ finem vitæ, totius oris fuit habitus, nullumq́ aliud votum, quàm ut cupide tandem hoc corporis onus deponeret, & ad beatiorem illam cœleſtis regni ſedem transvolaret. Moritur ergo vir præclarus, ſi modo mori potuit, quem ſumma virtus, & præclara in hanc Rempub. merita immortalem reddiderunt. In noſtris quidem animis, quicunq́ hic circumſtamus, perpetua nominis eius vigebit memoria. Patrem enim filij, non dominum famuli amiſimus, cuius tanta extitit in nos liberalitas, ut quas villas, quæ poſsidemus prædia, aut ſi quem gratiæ & dignitatis apud ipſum etiam Principem obtinemus locum, non niſi beneficentiæ illius acceptum feramus. Mira enim ad cæteras virtutes hominis huius fuit munificentia, ut quorūcunq́ famulorum inſignem perſpiceret fidem, & in obeundis negotijs dexteritatē, omnes occaſiones beneficij in eos conferendi

r quæreret

quæreret, semperq; fortunis eorum aliquid adiiceret. Nec verò hac liberali & munificá eius dextera diminutum quidquam de bonis clarissimorum horum Nicolai & Christophori eius filiorum agnoscimus, ut maiora subinde dignitatum & fortunarum Deus omnipotens largiens illis incrementa, iusta ac digna beneficentię hominum se semper tribuere præmia testetur. Ita enim æquá iustitiæ lance cuncta dispensat Dominus, ut homines sordidos, & soli pecuniæ cumulandæ inhiantes, nihilq; beneficij in alios conferentes, & ipsos bonis suis vesci non sinat, & ab hæredibus eorum omnem substantiam tollat: Munificorum autem patrum filios, & in sublimi dignitatis fastigio collocet, & maioribus subinde opibus locupletet. Vidit ergo munificus ac liberalis Radiuilus filios suos dignitate, gratiá, opibusq; florentes, vidit tam fortem ac strenuam patriæ operam navantes, ut in eis etiam nunc viuere, solitisq; beneficijs Rempub: afficere videatur. Atq; hic quidem virtutis splendor, quo maximè hominum generi viri præclari prodesse student, illustres & splendidas familias efficit, in oculisq; ac conspectu omnium hominum constituit, ut quam solam laudis & gloriæ mercedem virtus desiderat, hac perpetuá illæ circumfluant, & per hominum ora pervagentur. Nam qui natalium suorum splendore homines contenti virtuti non student, Nobiles quidem illi esse pernegari nequeunt, sed dum à maiorum probitate degenerant, generosi minimè censentur, ac propterea omnem dignitatis avitæ laudem amittunt. Nihil autem turpius homini accidere potest, quàm gloriam parentum, qui præclarus ac magnificus natis est thesaurus, per ignaviam & mentis improbitatem perdere, nec seipsum ob propriam virtutem, sed propter superiorum gloriam honorandum præbere. Vos ergo, clarissimi Radiuili, quá cœpistis via, pergite, maiorumq; vestrorum vestigijs insistentes, & de Repub. & de hominum genere, maximè autem domesticis vestris benè mereri non desinite. Magna enim hominum expectatio de vobis omnibus est concitata, ita in apertum virtutis campum progressis, ut aliquem vobis præcurrere, aut vos inter ultimos subsist re,

minimè

minimè esset honorificum, sed præclara hæc animi ingeniiq́; vestri indoles, eaq́; virtutum quæ suspicimus decora, non aliam spem nobis faciunt, nisi quòd in hanc curam & cogitationem perpetuò incumbetis, ut vobis ipsis subinde superiores evadere contendatis. Magno quodam animi ac incredibili ausu, quidam ex Illustri domo vestrâ, terras omnes ac maria pervagantur, totumq́; ferè orbem lustrant, ut Vlysseam illam, qui multorum Regum ac populorum cognovit mores & vrbes, in procurandis Reipub. negotiis, referant prudentiam: alij autem in ætate iuvenili ad maximas omnes, virtutis admiratione, evehuntur dignitates, ut præclara rerum omnium, actionumq́; initia & fundamenta, nonnisi de ultimo præclarè perficiendo opere, magnâ nos spe impleant omnes. Deum Optimum Maximum, per nomen vnigeniti eius filij precamur, vt vos diu sospites ac incolumes gloriæ suæ promovendæ, & Reipub. propagandæ conservet, istaq́; virtutis, & meritorum in patriam, qua hunc patrem ac gentilem cumulamus vestrum, laude cumulet, & tandem cœlestis vitæ præmio condecoret. Dixi.

CARMINA DIVERSORVM AVCTORVM, AD PETITIONEM MAG: DOMINI IOAN: ABRAMOVICII, PRAESIDIS DORPATEN.

Inprimis,

IN FVNVS ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS DOMINI D. NICOLAI RADIVILI, DVCIS IN DVBINKI ET BIERZE, PALATINI VILNENSIS, IMPERAT: EXERCITT: LITV. &c. &c.

MONODIÆ.

MAgnanimum fortemq́ virum Lituania si quem
Vidit, & ingenij dexteritate gravem.
Talis Nicoleos hic erat Radiuilus, avitum
Splendorem Litavæ gentis, & arma tuens,
Hic vir, hic est patriæ fuerat, qui natus honori,
Armis, consilijs, militiæ, atq; domi.
Terror erat Mosci, quotiesq́ profectus in illum est,
Victrici redijt clarus ab hoste manu.
Deniq; mortales non hos prius exuit artus,
Quam Mosco inferias audiit esse datas.

SECVNDA.

DVlces exuvias, monimentaq́ dulcia cernis
Quem nati charo constituere Patri.

Patri

Patri quem meritò tellus Lituanica Patrem
Dixerit: illo etenim præside tuta fuit.
Heu, Radivile cadis, ductor fortissime belli,
Quis tibi felici Marte secundus erit?
Vixisti victor, moreris nunc victor, ad aures
Suntq; tuas Mosci fata relata prius.
Iste tuum tumulus tecum iam servat honorem,
Est tuus in nostro pectore maior honos.

TERTIA.

STirpe Ducum genitus, per se Illustrissimus idem,
Nicoleos tumulo hoc ossa Senator habet.
Ceu iubar hic Litavis fulsit Radivilus in armis.
Sceptra Palatini gessit ob idq; potens.
Pollebat sermone gravi, sedatus, & æqui
Ius dicturus amans, consiliisq́; prior.
Ibat in immites ductor faustissimus hostes,
Et forti Moscum fudit ubiq; manu.
Quàm charus patriæ, tam formidabilis hosti,
Æui produxit tempora iusta sui.
Nec vitá prius excessit, quàm funera Mosci
Ceu patriæ vindex audiit atq; Pater.

EPITAPHIA ALIQVOT.

VIr genere illustri, proavisq́; potentibus ortus
Hic fuit, ad cuius fers monimenta gradus.

Nicoleos Radivil, gestis celeberrimus inter
Sarmaticos proceres, militiæq; Duces,
Sæpe acies Moschum contrá direxit & ultor
Perfidiæ hostilis sæpe redibat ovans,
Iurato patriæ iuratus ita extitit hostis
Vt viuente, simul viueret hoste truci.
Non, inquit, moriar, ni te prius occupet umbra
Mortis, & infernæ ferrea vincla domus,
Dixit, & optatis retulit concordia, Moscus
Mortuus ut primum est, hic quoq; post obiit.

SECVNDVM.

HEroas Litavos inter clarissimus olim
Nicoleos genitus stirpe Radiviliâ.
Hic cubat, in patriam meritis cumulatus, opima
Qui spolia e Mosco strenuus hoste tulit.
Vrbs Lituana Palatinum quem Vilna potentem,
Et gentis columen noverat esse suæ:
Nullus in infidos illo Dux faustior hostes,
Fascibus haudq; fuit dignior imperii,
Delitiæ Regum, patriæq; columna labantis,
Alcides bellis, Nestor at eloquio,
Occubuit senio gravis, immaturus at idem
Si patriæ spectes commoda, siq; bonum.

TERTIVM.

OCcubuit claræ Radivilus gloria stirpis,
Nicoleos patriæ magna columna suæ,

Quo duce bella, auctore negotia, Principe Ciues,
Vilna Palatino, ſat viguere diu.
Conſiliis plenus, Patrio ſermone diſertus,
Et celebris rerum proſperitate ſtetit.
Patria quem gnauum, famuli agnovere parentem,
At Liuo tutorem, claſsica bella Ducem.
Quid tibi vir, Moſce, hic quantus? cũ cœſus ab illo
Senſiſti victos ingemuiſse tuos?
Hunc ætate gravem, & communis pacis amantem,
Invida mors rapuit: funera flete viri.

EPICEDIVM IN VEXILLO PETRI DVCIS SOYSCII, PRÆFECTI MOSCHOVITICI EXERCITVS, A RADIVILO AD VLAM INTERFECTI.

ASpera cum quondã graſsando bella moueret,
Moſchorum Princeps, damna cruenta tulit.
Terrificum Petrus ducebat Soyſcius agmen,
Frangeret ut vires, Sarmata clare, tuas.
At Rex Auguſtus bellum profligat acerbum,
Dum legit Illuſtrem Magnanimumq; Ducem,
Dux eſt Nicolaus Radivilus, quiq; GeorgI
Nomen habet, patriam liberat atq; ſuam,
Petrus enim ſupra fluvium, qui dicitur VLa
Ivaniis campis Marte furente cadit,
Ter decies quoq; mille viros Lituanicus enſis
Hauſit, nunc tumulo hoc Petre necate, cubes.

EXPVGNATIO MVNITISSIMÆ arcis, Tavri. Ioan: Radu.

TAurus erat camuris armatus cornibus, ignes
Ore vomens, trepidis ſontica peſtis agris,
Ira Deûm monſtrum hoc noſtris immiſerat oris,
Horror erat populis terra Livona tuis.
Sæpe greges ovium teneros, armentaq; ſtravit,
Cumq; ſuis ſegetes igne peremit heris.
I, Radivile, tuus labor eſt fera monſtra domare,
Quæ genuit tellus Moſchis obuſta gelu.
Nec mora pro ſociis corpus Radivilius heros
Projicit: & monſtrum ſolus adire parat.
Mox dextram clauæ præſignis robore obarmat,
Et validam telis occupat uſq; feram.
Ille quidem in vacuas vaſtis mugitibus auras
Sæviit, arietans ictibus horriferis,
Et capite obſtipo, cornuq; laceſsiit auras,
Et pede pulvereum ſparſit abunde ſolum.
Fruſtra: namq; illum Radivilus ſudit arenâ,
Mugiit extremum bos moribundus humo.

DE EODEM EIVSDEM EGCOmiaſticum homonymiâ & enumeratione Tauri, ac partium eius.

POſtquam Moſchigenas hauſit Radivilius enſis,
Et penitus Litavo Taurus conſedit ab igni,
Audiit

Audiit hæc Taurus Radivili gesta potentis
Nubifer, ad Tauri muros dum Marte secundo
Fulminat: atq; gemens magnis mugitibus auras
Terruit, hoc casu Fratris concussus acerbo,
Irritaq; in superos iactabat cornua Taurus,
Non aliter quàm cum summo jaculatur Olympo
Iupiter, in rabidis luctantia culmina ventis,
Aut Subsolaná mons ipse perhorruit aurá:
Ter quater intremuit Taurus, vicinaq; saxa
Adtonuit, montesq; feros: rescivit IMAus,
Hinc Egidisq;, Paropamisusq;, & Circius ingens,
Altaq; Cambadis, Pharphariadesq;, Choatras
Assitus huic, & qui post Caspia tentat Oreges
Marmora: quin eadem famá percepit Orates
Arduus, hinc Tygri trux præcipitante Niphates.
Caucasus obstupuit (quatiebant brachia quercus
Aëriæ) nec non mons Zagrius, atq; propinquus
Sarpedon, post hunc Coracesius, & Cragus, atq;
Anticragus viridis, cuncti gemuére, patrisq;
Narrarunt luctus Hircanis montibus, atq;
Armeniis, quls sæpe polo super ingerit ignes
Vejovis, hinc Pariedrus, Amazonicusq;: sed ex his
Moschius audivit, qui post (ut gesta) Coraci
Porrigit, ille statim Scythico, hinc aliiq;, aliiq;
Rescivere super, totusq; Ceraunius ingens
Audiit, & Tauri casum, & Radivilia bella,
Audiit, & cunctos iubet hæc ediscere montes,

Virtutem, nomenq; viri, cœsasq; cohortes
Moschorum juvenum, victiq; incendia TAuri.
IAMq; hinc Fama volans ad Finem Solis, ab Ortu,
Arma virumq; tulit, surgentis littora Phæbi
Evolvunt, Oriensq; dies, ac noctifer, & quo
Vespertina tepet regio miratur laus.
Austrorum, Boreæq; domus stupefiet honores
Eximios, toto crebrescet gloria mundo.
Iam tercentenas exples rumoribus urbes,
Atq; ubi sunt Solis fontes, gryphesq; bimembres
Cœliferi Atlantis projecta cacumina supra,
Extra anni, Solisq; vias: ævoq; sequenti
Nulla decus tantum Radivili oblivia tollent.
Te vigiles curæ, te vatum littera dives
Post genitis tradet, te sancta odæa sororum
Alite Phæbeæ mentis sine fine sonabunt,
Atq; tuos semper Fama instaurabit honores
Temporibus luctans, donec Sol aureus ingens
Arquato cœlum signabit tramite mensus,
Omnia dum current annosi lumina mundi,
Semper eris: quid te frustrà mortalibus æquo?

ILLV-

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO DOMINO NICOLAO RADIVILO, PALATINO [TVM] TROCENSI, EXERCITVS LITVANICI IMPERATORI, de victoriá ad Vlam ex Moschis reportatá

PETRVS ROYSIVS HISPANVS. I. C.

DEspiciens cœlo Sol Moschos cœde cruentos,
Devictos ductu, Dux Radivile tuo.
Se occuluit verso stragem miseratus Olympo,
Parce velut dicens jam RADIVILE, sat est.
Sed non Luna, sat est: hostem preme, dixit, & ortu
Moschorum ostendit officiosa fugam.
Persequeris, cœdis, spoliis & onustus opimis,
Victrices aquilas, in tua Castra refers.
Ah timui ne Luna suum jubar alma negasset,
Victorq; in cursu distinerére tuo.
Et tenebris fidens, & nocti Moschus opacæ,
Vitaret vestras, Dux Radivile, manus.
Orbem quære alium, quo se Sol condere nescit,
Aut brumà posthac bella ciere cave.
An tibi vis propè iam partos in luce triumphos,
Eripiant properæ de manibus tenebræ.

DE EADEM PVGNA.

IOAN: RADV.

DIcebas: vincam terdenis millibus, ista
    Millia quinque, tuis falsus ab auspiciis.
Cum Litavûm pauci, sed bello vivida virtus,
    Sternunt haud vanis te, miser, auspiciis.
Ex illo campis conferre ingloria signa,
    Cum Litavis trepidas, Magne Borysthenida.
Mosche, alios alii de te retulére triumphos,
    Eripuit RADIVIL, cor tibi belligerum.

EIVSDEM DE AMPLITVDINE & præstantia Familiæ Radiuiloniæ.

QVid mirum, si tota domus Radivilia floret,
    Divitiis, factis, nobilitate, bonis,
Ales hic immensæ decus insuperabile gentis,
    Si parit in gremio, Iupiter alme, tuo.

Sláwá.

Ná ßcześliwe zwyćieſtwo Oświeconego Xiążeciá Je° Mośći Páná/ Páná Mikoláiá Rádziwiłá/ Woiewody Wileńſkiego/ y Wielkiego Hetmáná Litewſkiego ꝛc. ze dwudzieſtu cżterzech tyśiecy Moſkwy pod Kieśią porážoney dniá 21. Octobrá/ w Roku 1578. Przez Porucżniká ſwego Páná Andrzeiá Sápiehe/ Woiewodzicá Nowogrodzkiego.

IA Sláwá dlugowiecżna/ z wiekow Poſcl racży/
Głos ná świát o Rycerſkich ſpráwách dawáiący.
Nagrodá prac/ dźielnośći/ nagrodá y śiły/
Ktora śie kiedy ktore páńſtwá rozßyrzyły.
Mgnieniem oká przechodze/ wſchod/ zachod ßeroki/
A głową ſwą docykam áž w ſáme obłoki.
Ja Krole/ ia Xiążetá/ ia dźielne Hetmány
Roznaßam po wßem świećie/ y poććiwe ſtany.
Ja dawam žyć ná wieki vmárłemu/ cżłeku/
A po śmierći mną žywie/ od wieku do wieku.
Ja po wßytkich narodách/ nabeſpiecżniey chodze/
A po śmierći y z grobow Rycerze wywodze.
Jde do domu twego z Tryumphy godnymi/
A z zacnemi dárámi/ piekńie przybránymi/
Zá licżbe nieźlicżoną ludu pobitego/
A Armaty odártey z Carza Moſkiewſkiego.
Otworz wrotá bym weßłá/ boć iednák wnet piory
Choć niepuśćiß/ ia wlece ná twoy dom/ bym z gory

 Od wſchodu

Od wschodu do zachodu ciebie osławiłá/
A wieńcem/ com z Oliwy zieloney vwiłá/
Twoiey głowy spániáłey ſkronie otoczyłá/
A tym ćie/ iáz zwyćiezce kleynotem poczćiłá.
Otworz wrotá/ z Oliwy zieloney pleciony/
Niosąc wieniec Hetmáńſki/ zdawna náznáczony/
Ktorym te koronuią ktorzy zwyćiężáią/
A ſámi go Ceſárze ná głowách miewáią.
Bo Xiąże oswiecone/ y wielki Hetmánie/
Iż zá twoią dźielnośćią/ y ná roſkazánie/
Moſkwę gwałtowney mocy twoi poráźili/
A te posługę zá twą ſpráwą vczynili.
Dawam ći tym słuszną cześć/ z strony páná twego
A od Polſkiey korony/ y z Xięſtwá wielkiego/
Byś długo nie wprzerwáney ſławie ták pánował/
Zeby ten motłoch bijąc/ oſtátek z hołdował/
Snać iáko od Afryki/ Scipioná zwano/
Tákby ćiebie zwyćiężcą Moſkiewſkim piſano.
A słup ći Mármurowy wzgore wyſtáwiono
A dorocżne gry ku cżći práwem vchwalono.
Bo cokolwiek ty pocżnieſz/ to wszyſtko ſzcżeśliwie
A nád twą wolą ledwie nieprzyiaćiel żywie.
Bo ieśli ſam/ wygrawaſz/ każeſzli bić komu/
Bije/ owaś ſzcżeśliwy ták w polu ták w domu/
Coż wżdy ieſt/ iżći ták Mars cżeſto vſtępuie/
Cżyliś możnieyſzy nádeń/ cżyli ći tym folguie/
Iż Bogowie ſpráwy ſwe poſpolite máią/
Ktorych też y wam Ziemſkim Bogom vdźieláią.
Iuż Hektor/ iuż Achiles nic przed tobą máią/
Iuż ćię y z Anibalem ſpráwy twe rownáią/
A iuż nam y po dźielnym nic tu Scipionie/
Gdyż tákiego drugiego mamy ćię w ſwey ſtronie.
Wdźiey wieniec/ á Fáſcyą z purpury vſzytą
Opuść po ſwym Kiriſie/ áby wſzedy y to

Znácżny

Znáczny był miedzy Krolmi/ znáczny y Xiążety/
A przed tobą sie [illegible] Moskwicin przeklęty/
Ktory Kiedy chcąc dobyć Zamku Páná twego/
Vpadł/ y z swoia p[illegible] do czásu długiego.
Vpadł/ y ludźkiego Tysi[illegible] niemáło/
Jedni zbici/ drugich sie w więźienie dostáło.
Już Hetmáni Moskiewscy już Woiewodowie
Leżą/ iák ná ofiárę pobici Cielcowie.
Pełno trupow/ pełno krwie/ pełno koni zbitych/
Y onych pokrwáw[illegible] stroiow známienitych.
Wszystko ślachetnym ná łup Rycerzom zostáło/
Ktorych sie wielkie m[illegible] wten czás okazáło.
Gdy Cny Jendrzey S[illegible]chá/ twoy Porucznik śmiały/
Ktorego przodkow spráwy swoich nie wydáły.
Lecz ich zacnym przykłádem iák oni dźiáłáli.
Gdy z wielką sławą Moskwę przed láty biiáli:
Przewiodszy swe fortelnie przez głębokie brody/
Vżykował ná vsi[illegible]/ bez trwogi y szkody.
Ktorzy iák gdy Lwi/ srodzy z przemoru długiego/
Z Furyą dopadáią gdźie zwierzą leśnego:
Ták też y oni srogo Moskwę porážili/
Y Armáte im wszystkę/ y Dźiáłá odbili.
Już Wilk więcey ná Moskwie/ hrubo nie záwyie/
Już y dźiewká szpižána z [illegible]ey długiey szyie/
Nie wyniesie ku gorze/ áni hńczne głosy
Drobnieyszych Dźiał niedádzą/ dźwięku pod Niebiosy.
Wszystko to twoie szczęście/ y dźielność spráwiłá/
Y wszystkiemu do Moskwy drogę zágrodźiłá.
Już Proporce wydárte zwieszáne po grzędźie
A Wilk z swemi dźiewkámi/ tu w Litwie vśiedźie/
Já Sławá niemogąc sie sámá zdźiwić temu:
Gwoli ták Hetmánowi tobie szczęśliwemu/
Ktoryś záwsze to biiał nienáwyśne plemię/
A ich krwią obrzydzoną pokropiłeś źiemię.

Ktoryś

Ktorys w Niepomieszał ze krwią bystrą wode/
A dużego Taurusá przypráwił o szkode.
Aczem nie iest nowy gość w twym Xiążecym domie/
Osiadszy wietrzne skrzydłá swe/ y racze konie.
Oblece wschod y zachod/ nie folguiąc sobie
Bym wszemu oznaymiłá to świátu o tobie.
Zeċby nietylko swoi zá to winni byli
Lecz obcy z tego wszedy/ y Bogá chwalili.